




FORT
HILL


·LURLEY·
·MANOR·

Wm B. [illegible]



G: vander MUELEN

DISSERTATIO DE ORTU et INTERITU Imperii Romani.

J: Goeree del. J: v. Vianen fec.

DISSERTATIO
DE
ORTU ET INTERITU
IMPERII ROMANI,

Qua examinatur

Nobilis illa, ut eam vocat merito summus GROTIUS, *cum apud Historicos, tum etiam JCtos tractata quæstio, an ea, quæ olim fuerint* Romani Imperii, *jam sint* Germanici regni, *propter translationem Imperii Romani in Carolum M. factam; vel an nulla translatio ejusmodi facta, sed, populo Romano eodem hodie, qui olim fuit, penes eundem quoque imperium mansisse dicendum, tanquam penes corpus, in quo esset ac viveret.*

AUCTORE

G. VANDERMUELEN,

D. d'Oudbrouckhuysen &c.



ULTRAJECTI,

Apud GUL. VANDE WATER.

CIↃ. IↃC. XCVIII.

PRÆFATIO.

FOrtunam *in omni re dominari, inveterata & conſtans apud omnes fere gentes, a veri Dei, id eſt, ſupremi numinis, cuncta moderantis, cognitione alienas, invaluit opinio. Quamobrem* rerum domina *vocatur à Cicerone pro* Marcello. *Propterea quod tot ſubiti & inopinati rerum eventus, tot mutationes & viciſſitudines, quibus res humanas obnoxias perſpiciebant, aliunde derivari non poſſe ipſis videbantur, quam ab ejusmodi principio, quod & ipſum inconſtans & mutabile, brutum ac cæcum quid ſua oporteret eſſe natura, nec futura prævidens, nec aliquid cernens, quo ſeſe cum ratione applicet. Quamobrem quorundam ſtupiditatem eo proceſſiſſe audaciæ ex veterum monumentis con-*

ſtat, ut negare non erubeſcerent, Deos ſeſe rebus humanis immiſcere, vel earum cura affici aut tangi, ſed ad aſtra & fata ſive cæcam fortunam transferrent, quæ niſi divina regerentur ſapientia, brevi omnia ad primum Chaos, id eſt, omnium rerum confuſionem, reverterentur. Sic omnia fortuito ferri agitarique ſibi relicta, & a Diis quaſi deſtituta, in vulgus diſſeminare, & omnium animos impiiſſima & fœdiſſima hac doctrina imbuere & quaſi contaminare, inter omnes Gentilium Philoſophos peſſimum Epicurum niſum fuiſſe, neminem latere poteſt, qui diligenter ejus examinaverit dogmata, a ſcriptoribus literis conſignata. Nec ab eo aliena, quæ Lucretius, iſtiusmodi inopinatos eventus, & ſubitas rerum mutationes fortunæ, omnia gubernantis, vim eſſe ſtatuens, canit lib. 5. verſ. 105. & ſeqq.

Sed

Sed tamen effabor; dictis dabit ipsa fidem res
Forsitan, & graviter terrarum motibus orbis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes.
Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans.

Sic apud Euripidem Thalthybius, Hecubæ post captam excisamque Trojam, tristia mariti liberorumque fata & miseros casus, quibuscum luctandum, & tot ærumnas, quibus premebantur, videns, in ejusmodi prorumpit verba

Ω̃ Ζεῦ τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾷν;
Ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην
Ψευδῆ δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος·
Τύχην δὲ πάντα τ' ἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν.

Tal. O Juppiter quid dicam? utrum te homines respicere?
An illos opinionem temere hanc habere frustra

Falſam, exiſtimantes eſſe Deorum
genus,
Fortunam vero omnia mortalia
gubernare.

Quamobrem Apulej. *lib.* 1. Næ, tu fortunarum lubricas ambages & inſtabiles incurſiones, & reciprocas viciſſitudines ignoras. *Eadem ratione motus Cebes Thebanus Philoſophus, fortunam depinxit inſiſtentem lapidi mobili & rotundo, ut doceret mortales, quemadmodum ipſa rerum gubernatrix inſtabilis, ita quoque omnia humana, quæ eadem moderatur, fluxa eſſe, atque variis mutationibus jactari. Hinc volubilem, vagam, incertam, variam, inconſtantem a plerisque vocari teſtatur ad Cæſ. Veſpaſian. Plin. Sed merito exclamare licet, o cæca hominum pectora, & admirandam ſtupiditatem! Hi ipſi ſubiti & inopinati rerum eventus, tot mutationes & viciſſitudines, quibus*

bus exposita omnia sublunaria cernimus, nihil aliud sunt, quam tot indicia & testimonia immutabilis naturæ cursus, & certi ac perpetui ordinis, omnibus rebus juxta æternum Dei decretum præscripti, ad certo modo existendum & operandum. Quamvis autem non semper eodem modo existant ac operentur, ipsa tamen illa existendi & operandi mutatio certus et constans est respectu divini decreti ordo et modus; itaque licet nobis non eadem semper videantur, quoniam sæpius in eodem statu, in quo ab initio collocata, manere desinunt, nihil tamen accidit temere vel fortuito, quoniam juxta naturæ a Deo destinatum et determinatum cursum ac ordinem, et cujusque individui ab æterno decretam status mutationem suo modo et ordine existunt atque operantur. Non uti putamus incidunt cuncta, sed

veniunt; olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas, *inquit Seneca, quamvis subita et inopinata sæpe gaudii cum dolore commutatio. Nos itaque saniori opinione imbuti, cum nihil constans, nihil fixum aut stabile in rerum natura esse cernamus, sed omnia fluxa atque variis mutationibus obnoxia esse, non incusamus insanæ, brutæ, cæcæ, incertæ et instabilis, ut perhibent Philosophi, fortunæ lusus, sed miramur supremi numinis cum profundam sapientiam, tum mirabilem providentiam, qui ab æterno decrevit, quæ suo tempore evenirent, non temere et fortuito, sed ordine certo, ita ut quod nobis homuncionibus fluxum et inconstans videatur, non fortunæ vim, sed divini decreti efficaciam dicamus, quo singulis rebus naturale quoddam fatum assignavit, atque suis periodis tempo-*

ra

ra constare voluit, quibus peractis & adimpletis per vices suas, toties mutari videntur mortalia, quæ & in tempore fiunt & quasi cum eo circumaguntur. Verum quis non videt in hisce omnibus divinam providentiam cuncta moderantem dominari? Quis non a supremi numinis nutu & placito omnes hasce rerum vicissitudines pendere perspicit? Qui omnibus certa constituit tempora tum existentiæ, tum mutationis suæ. Cuique enim rei sua tempestas, *inquit* Ecclesiast. 3. Aliud est tempus nascendi, aliud vitam cum morte commutandi. Aliud est tempus plangendi, aliud saltandi. Aliud serendi, aliud metendi. *Rerum omnium est vicissitudo perpetua a Deo præfinita. Nam ut inquit Daniel vates* cap. 2. Ipse mutat tempora, & *quæ fiunt in tempore, id est, penes Deum sunt cun-*

ctæ

ctæ temporum revolutiones & vicissitudines. Is solus potest mutare tempus diurnum in nocturnum, & res cum temporibus. Annotarunt ad hunc locum viri docti, vatem hic corrigere perversam communemque illam opinionem, quod scil. mundus vel fortuito volvatur, vel quod natura sit summum numen. Deum asserit cuncta moderari sua sapientia & providentia, & opera sua mirifice dispensare. Quamobrem omnes vicissitudines & mutationes ab hac prima causa derivandæ. Quod tamen obstare nequit, quo minus & nos, si quid prosperi vel adversi nobis evenerit, fortunæ id ipsum tribuamus, modo sano & dicto a nobis sensu intelligamus vocabuli vim & significationem. Quippe nihil aliud quam rudem Pedantismum & deridendam severitatem atque fucatam pietatem redolet eorum opinio, qui

ne

ne quidem fere in ſermonibus & colloquiis appellanda hæc vocabula, cenſent, ad ſignificandum proſperi vel adverſi nobis aliquid accidiſſe. Verba valent uſu, nos enim fortunam non ut Deam vel Moderatricem rerum humanarum, ſed divini decreti & placiti effectum & adimpletionem conſideramus. Quod de Rhetore quis fiat Conſul, de Conſule Rhetor, fortunæ luſus, ſed a divino proveniens decreto & providentia. Quales mutationes & rerum viciſſitudines nos cautos oportet efficere, ut rebus humanis utamur tanquam humanis, quarum vanitatem & inconſtantiam nos rerum uſus docet, & proinde admodum ſemetipſum fallit, qui in hiſce acquieſcit, quaſi earum uſura perpetua. Habent ſuas vices proſpera & adverſa, ſæpius & plerumque unius cum altero commutatio, qua comperta ſa-

pientis est animo omnibus superiorem evadere, et utrumque ferre æquanimiter,

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam lætitia,

Horat. *lib.* 2. *Od.* 3. *Quos enim fortuna a parvis initiis ad summum honoris & dignitatis provexit fastigium, eos aliquando ab eodem gradu egit præcipites. Sæpius enim*

Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Sic obscuro loco natos, & e fece plebis homines, ad summos honores & dignitates pervenisse, testantur & annales, & rerum usus confirmat. Quam subita enim status mutatio quæ Davidi contigit, qui ortus parentibus agrariis & ipse pastor armentorum ad regiam dignitatem provectus. Sic etiam nonnulli Imperatores Romani a sordidis & tenuissimis initiis ad summum

mum illud majestatis culmen pervenerunt. Publio Helvio Pertinaci pater libertinus Helvius Successus fuit, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur, *teste Jul. Capitol. Sic et Macrinum filium libertini fuisse testatur Herodianus, & Pupienum obscurissimo genere natum dicit Capitolinus, ejusque patrem fabrum ferrarium, vel ut alii rhediarium vecticularium fabricatorem fuisse dicunt. Sic Philippum humillimo loco ortum patre nobilissimo latronum ductore, imperii fasces arripuisse testatur Aurel. Vict. Sic & Diocletianus, Aurelius Maximinianus, Galerius Maximinus, aliique quidam imperatores obscuro loco nati ad imperatoriam majestatem pervenerunt. Quorum multi etiam ab eodem gradu deturbati & quidem*

 dem

dem eodem sæpius modo, quo adepti erant imperium. Sed & stante repub. ab aratro Consules creati summæ rerum præfuerunt ; imo testatur Gellius Noct. Att. lib. 15. cap. 4. *Ventidium Bassum genere & loco humilem, utpote qui victum sibi quærebat comparandis mulis & vehiculis, quæ magistratibus, qui sortiti provincias forent, præbenda, publice conducere solitus erat, favore Cæsaris & Antonii per omnes fere honorum gradus ad Pontificatum & Consulatum pervenisse. Eamque rem tam intoleranter tulisse populum Romanum, ut vulgo per vias urbis versiculi proscriberentur:*

Concurrite omnes augures haruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat consul factus est.

For-

Fortasse ejusmodi exempla in proverbium abire effecerunt, quod dici solet, neminem oportere temere liberos suos exponere vel abdicare, utpote ignarum conditionis, quam aliquando adepturi. Sed viri sapientis & prudentis est reminisci quam fluxa & incerta sint fortunæ munera.

- - - Quicquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius ævum est.

monet Seneca in Agamemnone. *Quam multa imperia & regna ab imis incrementis ad stupendam magnitudinem creverunt, quæ interjecto tempore uno fortunæ ictu pessundata & eversa. Ubinam terrarum Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum florentissima imperia? Conciderunt atque evanuerunt. Imo quantas mutationes singula passa, quam multis jactata cladibus atque mo-*

motibus variis concussa, quam sæpius ruinæ proxima atque jamjam intermoritura visa, reviviscere cœperunt, donec tandem eorundem fatorum conditioni, cui omnia humana, exposita esse desierint. Habent enim corpora hæc artificialia id commune cum naturalibus, quod eodem momento, quo existere incipiunt, ad interitum properant. Quippe quemadmodum omnia caduca atque fluxa, quæ existendi initium habuerunt; ita nec minus regna & imperia, sicuti nascuntur, ita quoque consenescunt, ac denuo denascuntur juxta communem naturæ cursum, & rerum humanarum naturale quoddam fatum, ac peculiares temporum periodos, quibus cujusque rei existendi, & in eodem statu permanendi continuatio & duratio definita atque determinata. Sic quatuor illa summa imperia, quorum sta-

ſtatim mentionem fecimus, ſuas habuere periodos, quibus nata & aucta, tum iterum denata, donec tandem plane evanuiſſe rerum uſus docet. Quamobrem Vopiſcus in Car. Imperatore, *Romani imperii varias mutationes reminiſcens, in hæc verba prorumpit* : Fato Rempubl. regi, eamque nunc ad ſummum evehi, nunc ad minima retrahi, Probi mors ſatis prodidit. Nam quum dicta per tempora variis vel erecta motibus vel afflicta, nunc tempeſtate aliqua, nunc felicitate variata, omnia prope paſſa eſſet, quæ patitur in uno homine mortalitas, videbatur poſt diverſitatem malorum jam ſecura continuata felicitatis mensura, poſt Aurelianum vehementem Principem, Probo ex ſententia Senatus & populi leges & gubernacula temperante. *Sed neque hæc perpetua felicitas; excepit enim hanc ruina*

ingens ſub ſeqq. Impp. Itaque ſi aliquod exemplar longe lateque patentis imperii, variis quondam vel erecti motibus, vel afflicti, & fortunæ cladibus miſere lacerati & depreſſi, donec tandem conciderit & plane intermortuum, ita ut vix ulla tam florentis imperii veſtigia reliqua intueri liceat, Romanam ob oculos nobis ponemus rempubl. utpote quæ a tenuiſſimis initiis ad tantam magnitudinem creviſſet, ut mole ſua laboraſſe teſtetur Livius, ad omnes cum terræ marisque plagas, qua patet orbis, arma ſua circumtulerant Romani, & cunctas fere nationes debellaverant, ſuis legibus obtemperare & venerari imperium adegerant, quamobrem & orbis ſeſe dominos dixerint Imperatores. Verum quibus cum cladibus conflictata, quam variis & continuis fere motibus concuſſa

cussa, quot quantisque incommodis afflicta fuerit, produnt annales & historiæ illorum temporum, ita ut tandem Barbarorum incursionibus & armis subacta, urbe devastata, populo in exilium & captivitatem abducto, non in varias tantum divulsa partes & dilacerata, sed penitus deleta, ita ut hodie nulla fere imperii vestigia, sed urbis quædam rudera conspiciantur oculis. Quamobrem profiteor me non posse concipere, quænam rationes potuerint summum Grotium *eam in opinionem adducere, ut in elegantissimo suo opere* de Jur. Bel. & Pac. lib. 2. cap. 9. *defendendum susceperit*, eundem hodie populum Romanum esse, qui olim fuit, & proinde idem imperium, eadem imperii jura, penes eum mansisse, tanquam penes corpus, in quo esset ac viveret. *Qualis assertio mihi adeo repugnare videtur sanæ ra-*

 tioni

tioni & a præsenti rerum humanarum præcipue Romanæ reipub. facie aliena, ut mirari satis nequeam errorem, in quem forte incidit author, ut Papæ blandiretur, quem tamen graviter offendere animadvertit Celeberr. Gronov. in suis comment. *cum omnem ejus circa eligendum Imperatorem potestatem adeo a nutu & arbitrio populi pendere statuat, ut quicquid agit, illud agat vice populi, quem nomine tenus Romanum dicimus. Sane si dignitas Papalis supra omnem humanam potestatem, imo & conditionem eum evehit, multum detrahitur ejus majestati, si æqualis cæteris civibus, & quod magis dependens tanquam pars a toto, nullam habens autoritatem a semetipso tanquam prima causa, sed a populo, cujus quidem primus civis & caput, sed simul quoque pars respectu totius corporis*

poris, suis ex partibus compositum. Quoniam vero nobilis, ut eam merito vocat Grotius, hæc sit quæstio, cum apud Historicos, tum etiam JCtos, mereri quoque nobis videtur altiorem indaginem & uberiorem explicationem, quam commentandi rationi convenit; quamobrem mihi non abs re alienum fore visum, ut, dum in Grotium de Jur. Belli ac Pac. *elegantissimum opus nostris commentariis absolvendis & perficiendis incumbimus, peculiari dissertatione eam complecterer & paulo altius repeterem, quæ in illis de hac quæstione breviter delibavimus. Quod lectori nec ingratum, nec injucundum fore mihi persuasum. Sin in quibusdam forte erraverim, quod humanum est, quamobrem nec a me alienum puto, omnes, quorum in manus hæc mea dissertatio posset venire, vehementer rogo, ut meliora me velint*

docere.

docere. Non enim adeo pertinaciter opinionibus meis inhæreo, quin libens ſententiam mutare paratus ſim, ſi quis erroneam illam eſſe mihi perſuaſerit. Idque eo magis, quod multa attigi & diſputare ſuſcepi, quæ magis ad antiquitates Romanas, in quibus indagandis & explicandis tot viri eruditi ſuam conſumunt ætatem, atque egregios indies faciunt progreſſus, quorum idcirco arbitrio examinanda relinquere volui, quæ hujus generis delibavi in hac diſſertatione argumenta, quam ad publici juris ſcientiam pertinent, cui excolendo me totum tradidi, & proinde neminem me arrogantiæ arguere jure poſſe mihi perſuadeo, ſi circa ea, quæ ex juris publici ſcientia dimanant & ejusdem fori ſunt, paulo majori cum fiducia opinionem meam dico, quam quæ ſpe-

ſpectant alia literarum humaniorum ſtudia; quamvis nec ea omnino a me deſerta & abjecta. Quippe cum juris publici ſcientia cæteras omnes diſciplinas conjungendas cenſeo, & cujuscunque generis ſtudia excolenda ſemper mihi fuit perſuaſiſſimum. Verum ut diverſa & varia ſunt hominum deſideria & ingenia, & quisque inſervire ſtudet voluptati ſuæ, ſic quoque in addiſcendis diſciplinis & excolendis variis artibus & ſtudiis alius alium ſibi ſcopum eligit, ad quem potiſſimum collimat. Nec mirum quòd cæteris in alicujus artis vel diſciplinæ ſcientia præcellat, qui unice & præcipue ei navavit operam, atque ad illam excolendam per totius fere vitæ curſum animum applicuit, tanquam unicum ſcopum, quem conſequi enixe elaboravit. Unde non absque ratione

tione in proverbium abiit, cuique artifici credendum in ſua arte, quia præſumitur exactiorem ſcientiam & notitiam ejus artis & diſciplinæ habere, cui addiſcendæ ſumma cum diligentia operam dedit, quam quisquam alius, qui obiter forte eam attigerit, & idcirco illius potius, quam alterius judicio & opinioni acquieſcendum in omnibus, quæ cum ejusmodi arte vel diſciplina ac ſcientia habent convenientiam. Non omnia poſſumus omnes. Vita enim brevis eſt, nec ſufficit ad omnes excolendas artes & diſciplinas, ut parem nedum perfectam earum omnium nobis comparemus ſcientiam, cito labens hominum ætas. In eandem opinionem adductus Cicero 1. offic. *et ſibi aliquid deferendum exiſtimat in iis, quæ dicendi rationem ſpectant, quamobrem admonet filium, ut & ſua legeret, quibus poſſet orationem*

tionem Latinam pleniorem efficere. Nec vero id arroganter, *inquit*, hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis: quod oratoris proprium est aptè, distinctè, ornatè dicere, quoniam in eo studio ætatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare. *Quamobrem, si parva licet componere magnis, cum in publici juris scientia mihi comparanda & tractanda hac arte ætatem hucusque consumpsi, omnem a me arrogantiæ suspicionem removere me posse arbitror, si meum in iis, quæ ad hujus scientiæ culturam pertinent, majori cum fiducia judicium, quam alienum, sequor. In cæteris vero studiis eorum opinio magni apud me ponderis est, quos scio sese ad ea excolenda non sine fructu assidua cum diligentia applicuisse. Quamvis cuique libera*

ra facultas reſervata vel amplectendi, vel rejiciendi quæ ab aliis dicta, licet forte minus in eadem diſciplina exercitatus. Eamque libertatem, quam in aliorum ſcripta mihi vindico, etiam omnibus in mea concedo libens, modo calumniis abſtineant, quas ſcurras, id eſt, ſocietatis humanæ & reip. peſtes, terræ inutilia pondera, potius, quam virum honeſtum & reipub. bonum civem, decet tractare & meditari.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 10. l. 3. leg. cœpta eſſe. p. 31. l. 15. leg. quæſtuarias. p. 39. l. 8. leg. huic. p. 50. l. 4. leg. quos. p. 53. l. 24. leg. eccleſiaſticos. p. 58. poſt *Imperio* adde, quamobrem capitalis olim ll. XII. tabb. ſancita pœna ſi quis occentaſſet, ſive carmen condidiſſet quod infamiam faceret flagitiumve alteri. vid. Auguſt. *lib. 2. de civ. Dei*. tum etiam Dion. *lib.* 56. ib. l. 19. leg. quam debemus perſonæ. p. 85. l. 7. leg. amiſiſſe. p. 95. l. 11. leg. cætera. ib. l. 15. leg. fruatur. p. 101. l. 20. leg. coloniarum. p. 117. l. 13. leg. demandetur. p. 126. l. 17. leg. interioribus. p. 132. l. 20. leg. ſuos. p. 140. l. 2. leg. quæ Michaelis p. 143. l. 24. leg. languore. p. 144. l. 16. leg. Senatus nec. p. 169. l. 16. leg. ludicro. p. 172. l. 8. leg. adoptatum. p. 174. l. 11. leg. reddi. p. 191. l. 19. leg. alios Cæſarum id genus nummos. p. 192. l. 3. leg. uſum. p. 218. l. 2. leg. veriſſimum nec. ib. l. 11. leg. comprobatam, quemadmodum. p. 230. l. 23. leg. queunt. p. 264. l. 14. leg. confirmetur. ib. l. 19. leg. procurat. Ad.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
ORTU & INTERITU
IMPERII ROMANI.

IMmeritò à quibusdam ſciolis & umbraticis juris publici doctorculis, quorum doctrina nihil aliud redolet quam magiſtralem diſciplinam, cui omnes cedere neceſſum habent, quotquot in terrarum orbe virorum doctorum ordini adſcribi merentur, tanquam humani ingenii commenta habentur, quæcunque de hominis ſtatu naturali, id eſt, libertatis, à quo omne imperium civile exulat, & proinde nulla legum, niſi naturalium, reve-

rentia, nullus pœnarum metus, quo deterrerentur à malefaciendo homines improbi, ſibi in eo locum vindicat, ita ut quicquid agendi facultas cuique libera in foro externo competat, ubi ſtat pro ratione voluntas, quoniam quisque ſuo, non alieno, vivit arbitrio, traduntur, & à viris ingenio & doctrina florentiſſimis diſputantur: quaſi cum ipſa ſocietate naturali prodiiſſet quoque civilis ſocietas, & in ipſo ſtatu libertatis obtinuiſſet imperium civile, quo nihil ei magis contrarium fingi poteſt vel excogitari. Deploro eorundem tam denſis tenebris involutum ingenium; ſed interim non poſſum non mirari ſummam arrogantiam, qua ſuam craſſam ignorantiam prætexere volunt, & tanquam veritatem, falli neſciam, innocenti vulgo obtrudere, quaſi cœlitus miſſam diſciplinam, vel ſaltem Pythii cum ſum-

ſumma quondam veneratione Apollinis tradita oracula. Rationes ad doctrinam ſuam corroborandam, & noſtram evertendam excogitatas, & ab illis adductas, diluere non videtur mihi operæ pretium; tum quod ab aliis hoc actum; tum etiam cum ad utiliora animum adplicandi nobis ſeſe obtulerit occaſio, quæ lectori ſpero allatura aliquam voluptatem, ejusmodi næniis refutandis operam & tempus impendere mihi religio eſt. Ratio, cujus ſumus participes, omnes gentes docuiſſe videtur, humani, præ cæteris animantibus, generis præſtantiam illuſtriori modo nobis ob oculos poni non poſſe, nec clarius quam ex illa nulla legibus alligata libertatis à natura nobis tributa uſura perſpici. Si homo tanquam princeps, & ſummus omnium rerum arbiter à Deo collocatus in hujus univerſi inferiori parte, tanquam in theatro,

unde poffet fua juffa imponere cæteris creaturis, leges dare & non accipere, nifi à fe ipfo, id eft ratione, qua præditus, quia omnia ejus dominio fubjecerat divina benevolentia, ubinam civilis tunc temporis focietas? ubi imperium civile? Non inficior domefticum, multiplicata familia, in liberos obtinuiffe protoplaften imperium, quod & monarchicum meritò alibi diximus, fed illud ipfum civile perperam diceretur, quamvis ad ejus exemplar introductum: quippe nec perpetuum illud in familiæ membra; evanefcebat enim patria poteftas, ubi ad maturum judicium perveniffent liberi, atque exceffiffent familia paterna, quod ipfis integrum videtur fuiffe; quippe quamdiu erant pars familiæ, jus regendi atque etiam coercendi competebat patri, quatenus vel cogendi funt vel emendandi liberi.

Grot.

Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 5. §. 4. 6.* In societate vero civili quemadmodum civis nunquam exlex, ita nec ab imperii vinculo, id est, obedientia & subjectione, liber esse potest. Et quamvis posset aliò migrare & excedere civitate, nequit tamen societatis civilis expers esse, cum omnes fere gentes in societatem coiverint natura duce propriæ salutis conservandæ causa. Qui vero paterna excesserat familia, sui juris erat, & propriam habebat familiam, ita ut quemadmodum homines, ita quoque familiæ multiplicatæ. Quæ civitatis quidem imaginem aliquam referebant, verum si quis eas contendit cum civitatis fabrica, in multis ab hisce differre, perspiciet. Quod si itaque singuli homines, vel singulæ familiæ, cujus caput paterfam. totius familiæ gerens personam, tanquam in statu

naturali conſtituti conſiderantur, apparebit non à mundi primordio, nec ab ipſa natura, ſed ingraveſcentibus, multiplicato humano genere, malis & periculis, quæ homines inferre ſibi invicem & volebant & meditabantur, atque ab humano conſilio & facto ſummi imperii civilis & ſocietatis originem derivandam facile perſpiciemus. Illa cauſa remota, hæc proxima. Civitas, quam Cain conſtituit, non politicæ fuit alicujus ſocietatis, ſed privatæ ſuæ familiæ domicilium & quaſi privata domus. Sic עיר hir, urbs Hebræis dicitur vel unum ædificium, à cæteris ſejunctum foſſa aut aliquo ſimili munimento. Ita Sionis arcem paſſim *urbem Davidis* vocari perſpicimus 2. *Sam.* 5. 7. & ut ait de Roma Florus, *imaginem urbis magis quam urbem fecerat: incolæ deerant.* Quoties enim apud ſcriptores civi-
tatis

tatis vel ſocietatis civilis nomen occurrit, eo denotatur cœtus perfectus liberorum hominum natura æqualium, juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſub uno eodemque imperio ſociatus. Per cœtum perfectum ejusmodi ſocietas ſive ſociata hominum multitudo intelligenda, quæ ſufficit ad depellenda ea pericula & incommoda, quæ in ſtatu naturali homini ab homine imminebant, cujus vinculum imperium aliquod ſummum, quod ſingulorum voluntates ad communem ſocietatis & utilitatem & ſalutem tuendam dirigere valet. Qualis autem cœtus fuerit, qui civitatem à Caino conſtructam incoluit, facile conſtabit cuique ejus generationes enumeranti. Præterquam quod imperium nullum paternum ex generatione dimanans civile dici poteſt, ex conſenſu civium deſcendens ſibi jure æqualium. Non eo

inficias interjecto tempore ad majorem creviffe magnitudinem familiam, ita ut fere potuerit comparari cum parva civitate feu focietate, fed & iterum decrevit, cum verofimile fit, ejus pofteros propriam fibi conftituiffe familiam; donec tandem in varias gentes coiverint mortales, & diverfas coaluerint in focietates, ingravefcentibus, ut ftatim diximus, malis atque periculis, quæ homini ab homine imminebant, ita ut nec hofpes ab hofpite tutus, nec focer à genero. Nullum vero remedium efficacius ad ea eft coercenda mala, quibus in ftatu naturali obnoxii mortales, quam ab ipfo homine, à quo eadem imminebant, peti potuit, fcil. focietatem ineundo cum fui fimillimis, quorum ope & auxilio munitus, adeo potens evadere poffet ut nifi cum invaforis fummo periculo opprimi poffe videretur. Quippe cum ho-

mo ſit animal, cui innatus tenerrimus amor, quo ad ſemet ipſum conſervandum vehementer impellitur, non facile illum oppugnaturus eſt, quem non videt ſine morte dubia debellari poſſe. Qualem ſecuritatem cum præſtare nequeat conſpiratio duorum vel trium, aut exiguus hominum numerus, facile perſpicimus familiam vel civitates ex familia una aut altera compoſitas aut ſociatas æquali fœdere, vix dici poſſe civilem ſocietatem, ſed oportet numerum in mutuam ſocietatem conſpirantium adeo validum eſſe, ut acceſſio duorum vel plurium ab altera parte nullum ipſi metum incutere valeat, & invaſori certam victoriam deportandi ſpem addere. Quod cum mortales perſpicerent, in gentes & numeroſas catervas, ut ita dicam, coiverunt; hinc ſocietates civiles, inde regna, reſpub. aliæque id genus ſocieta-

tum civilium ac regiminis formæ. Non me fugit à parvis initiis imperia & regna olim cepiſſe, & ab exigua aliquando hominum multitudine repetenda incunabula latiſſimè patentis imperii. Verum, quod interjecto tempore exiguum viſum, primis temporibus, nondum multiplicato adeo humano genere, cum relatione ad alias gentes & ſocietates, ſatis validum erat ad præſtandam ejusmodi ſecuritatem, qualem optabant mortales ſibi parare. Verum quid juvaret in unam eandemque ſocietatem coeuntium multitudo, niſi ad unum eundemque finem obtinendum conſpirarent omnes, id eſt, communem tuendam ſocietatem & utilitatem promovendam. Cum vero, ut diximus, ſui amantiſſimus homo, ſæpius privata publicis potiora habeat, eo contingeret, ut, quoque naturæ ſuæ propenſionem ſequente, in varias

par-

partes diſtracta ſocietas corrueret, & opus fuit aliquod remedium excogitare, quo illa conſpiratio & animorum concordia, collimans ad unum eundemque ſocietatis finem, haberi poſſet & conſervari; cum vero unitas & concordia haberi nequeat, ubi omnes velle & facere poſſunt, quæ volunt, neceſſum fuit, ut quisque renunciaret facultati faciendi, quæ ſibi utilia fore perſpiciebat, ſuamque voluntatem ſubmitteret voluntati ſocietatis: atqui ſocietas quamvis ex diverſis conſtet partibus, unum attamen corpus repræſentat; ad ita ad unitatem tot partes earumque varias & diverſas voluntates & inclinationes redigendum, opus fuit ut conferrent in unum vel plures illud imperium, quod quisque in ſtatu naturali in ſe ſuaque bona habuerat, quod conſiſtit in libertate & facultate naturali faciendi ea quæ volumus,

mus, cujus voluntati fingula ejusdem focietatis membra fuam voluntatem fubjiciant, & fimul juri fuo refiftendi renuncient. Ita ut voluntas ejus, quem focietati tuendæ præfeciffent, effet pro voluntate omnium, quo fit, ut fummus imperans fibi acquirat horum omnium fubmiffione poteftatem fatis validam ad arcendas à civibus fuis injurias & pravas machinationes, quibus expofitus quisque in ftatu libertatis, id eft naturali, atque ab hifce initiis imperium civile derivandum & focietates omnes defcendunt. Quæ quamvis interiore ftructura & fabrica à fe nihil differant, attamen interjecto tempore propter varia compofita hominum defideria, variæ ipfis impofitæ regiminis formæ & gubernandi rationes inductæ. Unde & diverfa civitatum nomina, quibus à fe invicem fecernuntur diverfa corpora. Hinc regnum

gnum, id eſt monarchicum imperium ab ariſtocratico, & hoc iterum à democratico diſtinctum, civilia tamen omnia imperia & uno eodemque ſocietatis civilis nomine veniunt variæ hæ regiminis formæ, & rerumpub. conſtitutiones ac facies. Tres gubernandi haſce formas ita deſcribit Seneca: *Interdum populus eſt quem timere debeamus; interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri; interdum ſinguli, quibus poteſtas populi & in populum data eſt.* Populus autem potuit talem gubernationis formam reipub. imponere, quam ſuo deſiderio maximè convenire ratus eſt. Quippe ut inquit Grotius, *ſicut multa ſunt vivendi genera alterum altero præſtantius, & cuique liberum eſt id eligere ex tot generibus, quod ipſi placet; ita &*

populus eligere poteſt qualem vult gubernationis formam : verum omnium vetuſtiſſima , optima , & perfectiſſima abſtractè conſiderata, nulla habita ratione ſubjecti , cui demandatum imperium , monarchica ; quando unus fulminat Juppiter, unius exaudiuntur juſſa, & adoratur purpura. Perfectiſſima meritò , quia cœleſtis imperii imago , cum hoc univerſum ab uno regatur Deo , nec poſſit regi aliter. Sane ſi unitas & concordia eſt firmiſſimum & arctiſſimum ſocietatis civilis vinculum , ubi ea magis ſperari atque conſervari poteſt , quam ubi unus ſummæ rerum præeſt , ab unius arbitrio & voluntate pendet reipub. adminiſtratio ; *Non poteſt geri reſpub. multorum imperiis , ut ait* Saluſt. *Non bonum eſſe multorum Dominium* , apud Homerum eſt. Facilius enim eſt unius viri judicio ſatis-

tisfacere, quam operam dare, ut multis & variis ingeniis placeas. Quin & inconſtantia magna & crebra, tanquam tempeſtatum, ſic & ſententiarum mutatio, ubi plures ad reipub. clavum ſedent, præſertim ubi omnes regiminis participes, ſemper enim inconſtans & mutabile ingenium vulgi. *Si gubernatores in re nautica plures uno demus, qui ſimul clavum torquere velint, etiamſi artem gubernatoriam teneant, nihilominus ſe ipſos in nave dirigenda impediunt: idem in democratia populum, idem quoque in ariſtocratia patres, quantacumque ſapientia præditi ſint, facturos opinor: quo uſque uni, tametſi artis gubernatoriæ minus perito, clavum, id eſt imperii ſummam, permittant.* Unum imperii corpus unius regendum eſſe animo omnes fere gentes cenſuere; quam ob rem omnes antiquæ gentes quondam

dam regibus paruerunt. *Hanc ob causam regum se olim potestati tradebant, quia rarum erat invenire viros multos virtute præstantes.* Inquit Arist. 3. *Polit. Hinc principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat.* Justin. *lib.* 1. *cap.* 1. Cui convenit illud *Cic.* 2. *off.* 12. *Mihi quidem non apud Medos, ut ait Herodotus, sed etiam apud majores nostros justitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati reges constituti.* Sed quid hisce immoremur diutius, nullum illustrius exemplar nobis ob oculos ponere possumus, quam Romanam rempublicam, quæ quemadmodum, si ejus initia, & coalitionem, tum etiam imperium, quo fundata, in memoriam revocamus, facile

cile conſtabit vero eſſe conſentanea, quæ hucusque de ſocietatis & imperii civilis origine, tum etiam monarchica optima reipub forma diſputavimus. Originem ejus nobis tradit Livius ac Dionyſius, dum ex agreſtium hominum & paſtorum incondita multitudine coaluiſſe ſcribit in unum corpus, ſub Romuli imperio, qui ſuis rempub. fundavit legibus, & imperio, tanquam arctiſſimo vinculo, omnes partes e quibus compoſitum, ſibi invicem adeo devinxit, ut unum veluti corpus conſtituerent. Atque meritò inde incunabula repetenda reipub. Imo illud ipſum corpus, quod ſub Romuli auſpiciis, urbem, quam Romam à conditoris ſui nomine appellatam tradit Livius, incolere cœpit, revera ſubjectum dicitur Romani imperii, utpote quod cum eo cœpit, adolevit, conſenuit, ac tandem concidit & evanuit, corpore

pore diſtracto non ſolum , ſed plane diſſoluto , ita ut nihil niſi rudera & veſtigia quædam non populi, ſed urbis , hodie reliqua. *Quemadmodum enim curricula vitæ hominibus per ætates diſtinguimus, ſic imperii ſua ſunt temporum intervalla, quibus ab exiguis rebus ſumpto initio veluti adoleſcunt , inde ad majorem potentiam excreſcunt & intermoriuntur*, ut inquit Textor *Synopſ. jur. gent. cap.* 30. Quod ex Romanarum rerum variante fortuna ſatis perſpicimus. *Si quis enim populum Romanum quaſi hominem conſideret , totamque ejus percenſeat ætatem , ut cœperit , utque adoleverit , ut quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit , ut poſtea velut conſenuerit, quatuor gradus proceſſusque ejus inveniet,* ut inquit. Flor. *lib.* 1. *cap.* 1. Prima ætas ſub regibus fuit , atque

hæc

hæc erit ejus infantia. Sub consulibus adolevit ; sub Augusto Cæsare ad robustam quandam maturitatem pervenit. Sub posterioribus imperatoribus iterum consenuit atque decoxit. Nisi quod sub Trajano revirescere cœperit. Donec interjecto tempore paulatim decrescens & jactata variis mutationibus, mox debellata & dilacerata populorum barbarorum invasionibus, quasi suppressa & immersa tanta colluvione exterarum gentium nationumque conciderit ac plane dissoluto imperii corpore, evanuerit , ita ut nil nisi Romani populi quondam florentissimi memoria extet, & veteris urbis terrarum dominæ rudera quædam supersint. Sed notandum ad confirmanda, quæ statim de optima monarchici regiminis forma disputavimus , quemadmodum sub regio imperio nata est respub. Romana , ita quoque

sub

ſub unius imperio renatam, & ad priſtinum ſplendorem vigoremque reductam. Cum enim perpetuis diſcordiis belliſque inteſtinis miſere diſtracta atque concuſſa ruinæ jam videretur proxima, non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe inquit Tacitus, quam ut ab uno regeretur. *Gratulandum tamen in tanta perturbatione eſt, quod potiſſimum ad Octavium Cæſarem Auguſtum ſumma rerum rediit: qui ſapientia ſua atque ſolertia, undique perculſum & perturbatum ordinavit imperii corpus. Quod haud dubiè nunquam coire & conſentire potuiſſet, niſi unius præſidis nutu, quaſi anima & mente regeretur*, Flor. *lib.* 4. *cap.* 3. Hujus imperii atque reipub. ut dicere incepimus, incunabula petenda à Romuli temporibus, qui quemadmodum conditor urbis, ita quoque imperii fundator & auctor

fuit,

fuit, atque ut agreſtis illa hominum multitudo, ex qua conſtabat civitas, in unum corpus coaleſceret, jura & leges illi dedit atque præſcripſit, quibus fundavit rempub., & tot varia hominum compoſita deſideria in unam reduxit harmoniam atque conſonantiam, moresque populi perpolivit, atque ad vitæ agendæ optimam rationem formavit rudem ac ſimplicem paſtorum multitudinem. Sine dubio tamen ad genium populi accommodatis & attemperatis legibus, ut paulatim aſſueſceret ſeveriori vivendi diſciplinæ. Quamobrem non ex plenitudine poteſtatis inconſulto populo jura ſanxit, ſed vocata ad concilium multitudine, ut omnium deſideria ſibi innoteſcerent, fixit leges; tum etiam quia ſummi imperii partes in corpore, id eſt populo, tanquam communi ſubjecto, ut alibi annotavimus, inſunt,

quam

quamobrem non ſibi vindicavit imperium Romulus propria autoritate, nec reipub. eam impoſuit formam, quæ ſibi placuit, ſed permiſit arbitrio populi talem eligere formam, qualem optimam & ſibi utilem fore judicaret. *Equidem*, inquit, *quamcunque reipub. formam inſtitueritis, ad eam recipiendam paratus ſum, nec principatu me indignum exiſtimans, nec detrectans imperata facere. Honorum quibus me dignati eſtis, tributo primum coloniæ deducendæ principatu, deinde urbe à me denominata, ſatis habeo &c. Illi autem communicato inter ſe conſilio reſponderunt in hunc modum: Nobis nova reipub. forma non eſt opus; nec à majoribus probatam & per manus traditam mutabimus; ſed & priſcorum conſilium ſequimur, quos non ſine inſigni prudentia illam reipub. formam impo-*

posuisse credimus & præsenti fortuna contenti sumus. Cur enim illam incusemus, cum sub regibus contigerint nobis bona, quæ apud homines habentur præcipua, libertas & imperium in alios. Cæterum honorem eum non alii magis quam tibi convenire persuasum nobis est, tum ob genus regium, ac virtutem, tum vero maximè quod te hujus coloniæ ducem habuimus &c. Hoc modo omnes societates civiles excitatæ, hæc est origo civilis imperii, scil. populi consensus. Verum cum non ubique præsens esse possit rex ipse, nec superesse omnibus negotiis, & per se expedire quæcunque reipub. salus & utilitas exigit, atque efflagitat, necessum fuit aliis nonnullas imperii partes demandare, qui omnes tamen à regis nutu & arbitrio tanquam à capite dependent, & quicquid agunt vel imperant, ejus nomi-

nomine ſeſe ea facere meminerint. Quippe ut inquit Ulpianus, *Is cui mandata jurisdictio eſt, fungitur vice ejus qui mandavit, non ſua. l.* 16. *ff. de juriſd.* Quemadmodum omnia membra ſuam relationem habent ad corpus humanum, tanquam partes ad totum, ita omnes magiſtratus ſuam habent relationem ad corpus civile, ſcil. civitatem, tanquam partes totius, cui ſubjiciuntur eo ipſo, quod non ſubſiſtunt per ſe, ſed cum corpore, cum quo unitæ totum aliquod componunt. Si enim ejusmodi ſubjectionis non eſſet ordo, nulla partibus cum toto harmonia vel concordia intercederet, & proinde omnia corruerent individua. Hinc ipſe mundi opifex rerum quandam ſubordinationem eſſe voluit, ut alter alterius ſervitio poſſet uti. Ut autem partes ſint ſubordinatæ toti, quid magis rationi conſentaneum

neum. Et quoniam non possunt dici partes, nisi cum relatione ad totum vel corpus, quod componunt, ideoq; quicquid operantur, illud operantur tanquam partes, id est nomine totius, quia totum operari nequit, nisi per partes, quoniam ex iis compositum. Sic quicquid in repub. agunt magistratus, fit nomine civitatis, cujus personam gerunt. Quod quis vero per alium facit ipse fecisse videtur. Et nisi in repub. ejusmodi ordo observaretur, ac personarum sive membrorum esset subordinatio, ut ita dicam, vix diu posset subsistere reipub. corpus, nec aliqua expediri negotia. Quemadmodum omnia corporis humani membra brevi collaberentur, nisi ventri obedirent ac inservirent ejus conservationi, qui dum alitur, alit corpus omnesque artus, servat dum, servatur, suum cuique tribuens alimentum necessarium; ita quoque

brevi corrueret refpub. fi membrorum fuorum non poffet ad fe confervandum ac tuendum uti fervitio, vel hæc recufarent fuum ipfi præftare officium, & quicquid agerent non ad communem, fed propriam referrent utilitatem. Poftquam itaque Romulus imperii fafces acceperat, fummamque penes eum majeftatem refidere voluit populus, ad rempub. formandam animum adjecit, ad omnem vitandam confufionem, quæ cum reipub. interitu fæpius conjuncta eft. Itaque quemadmodum principem prudentem decet, primum, ut tradit Dionyfius, ordinavit reipub. corpus, ut fingula membra fuum facerent officium, atque ita communi ope tanquam partes ejusdem corporis, totius confervationem junctis viribus tuerentur. Nihil enim magis æquum, quam ut illi, qui commodum fentirent, etiam ferrent incommodum, & oneris

partem

partem quisque in ſe ſuſciperet, in quantum de eo participat. Quippe cum in omnes redundaret commodum, quod a conſervatione totius corporis pervenit ad partes, nihil magis æquitati conſentaneum, quam ut quisque ſuas operas conferret ad corporis conſervationem tuendam. Quoniam vero corpus hoc artificiale ex variis partibus conſtat, quæ non ſunt ejusdem generis ac naturæ, ita nec omnia membra idonea ad eadem ſuſcipienda officia, verum ea eo modo diſtribuenda ſunt, ut conveniant cujusque aptitudini, quod ut commode fieri poſſet, inferioris a potioris fortunæ civibus ſecrevit, poſtquam univerſum populum in tres partes diviſiſſet, manente tamen eodem toto, utpote quæ ad deliberandum, ſi quod de repub. conſilium capiendum erat, conveniebant tanquam unum idemque corpus conſtituentes.

Quippe hac divifione non tam ipfum corpus divifum, quam ut hac ratione poffit haberi partium optima inter fe difpofitio & harmonia, ne quid inordinate & confufe & proinde quod corpori noxium eft in adminiftranda repub. contingeret aut fieret. Præterquam quod fub uno eodemque imperio conftrictę & colligatæ permanebant, focietatis arctiffimum vinculum, quo diffoluto revera concidiffe & interiiffe dicitur refpub. eft enim tam arcta conjunctio focietatis cum imperio, ut una fine altero nequeat fubfiftere, fed unius interitus etiam alterius ruina eft atque privatio. Verum donec illud fubfiftit, confiftit corpus imperii. Alterutro evanefcente, ambo intereunt. Partes in quas divifit univerfam multitudinem, id eft totum populi corpus, cujus nomine & plebs venit, abjecti & egeni, *tribus* appellatæ. Has iterum in minores

nores partes diſpeſcit, quæ *curiæ* dictæ, atque ſingulas tribus ex decem curiis conſtare voluit; ita ut triginta fuerint curiæ. Ex hac diviſione perſpicimus ex partium ſubordinatione commode totum confici atque componi. Sic decem curiæ tanquam tot partes perficiebant tribum, tribus populum componebant, & ſic alter alterius intuitu partis vicem ſuſtinet ad ſuum totum conſtituendum, ſibi autem invicem inſerviunt ad formandum reipub. corpus ejusque ſtatum, univerſo populo hac ratione in tres partes diviſo. Hiſce ſingulis iterum in decem minores partitis, quæ, ut diximus, curiæ dictæ, curiisque inſuper in decurias diſtributis, ſingulis ſuos præfectos præpoſuit, qui nomen ſuum habuere ab ordine cui præerant. Sic qui tribus præfecti tribuni dicti. Curiarum duces curiones vocati. Qui decuriis præpoſiti

decuriones appellati. Poſtquam Romulus populum Romanum primum ordine, deinde etiam dignitate dividere, ut concinnam reipub. formam imponeret, cœpit. Quamobrem antiquitate generis & gloria majorum illuſtres, fortunæ atque animi dotibus inſignes, tum etiam liberorum procreationi navantes operam, ac natos natasque habentes, ſecrevit ab obſcuro loco natis, abjectis, & quibus erat res anguſta domi. Hujus ordinis & conditionis homines vocavit plebejos. Illius patres, ſive, ut inquit Dionyſius, quod ætate anteirent alios, ſive quod liberos haberent, ſive propter natalium ſplendorem ac decus familiæ, ſive propter hæc omnia Hinc diſtinctio familiarum in patricias & plebejas. Hiſce bene ordinatis, mox legibus latis præſcripſit quid utriusque conditionis civibus faciendum incumberet, & ſua cuique munia

obeunda

obeunda aſſignavit atque diſtribuit, ut omnia ordine peragerentur quæ ad reip. gubernationem pertinent negotia, quippe ut ſtatim dicere incepimus, nihil majus adfert detrimentum reipub. quam confuſio, utpote quæ ſæpius conjuncta cum everſione & interitu totius corporis. Voluit itaque ut patricii ſacris faciendis atque curandis præeſſent, tum etiam magiſtratus gererent, ac jus redderent, ſecum imperium tractarent adminiſtrarentque & res urbanas obirent. Plebejis mandatum, ut agros colerent, pecus alerent, queſtuarias res exercerent. Patricii vero ordinem iterum ita partitus eſt, ut alii eſſent ſenatores, alii equites, alii neque ſenatores, neque equites, ſed tantum in patriciorum haberentur numero, centumque viros in ordinem ſenatorium allegit, hac ratione, ut teſtatur Dionyſius, ex omnibus unum ipſe declaravit præ-

cipuum, cui rerum urbanarum regimen committeret, quoties ipſe foras duceret exercitum: Deinde ſingulis tribubus edixit, ut tres omnium præſtantiſſimos, genere, judicio, & rerum uſu conſpicuos, ex unaquaque eorundem ſuis ſeligerent ſuffragiis crearentque; poſt hos novem, imperavit rurſus ſingulis curiis, quæ, ut diximus, triginta erant, ut e patriciis ternos eligerent fortunæ & animi dotibus cæteris præſtantes, ac natu grandiores & maxime idoneos, adjectisque ad illos novem his XC. qui electi curiarum ſuffragiis, & his omnibus præfecto duce, quem ipſe ſuo addiderat arbitrio, centenarium ſenatorum numerum explevit. Senatores propter ſenectutem, cum vetuſtiſſimi patriciorum eſſent, ſive ab honore & virtute appellavit. Quemadmodum apud Lacedæmonios ſenes appellabantur, qui ſummum

mum aliquem magiſtratum gerebant, ut Cicero teſtatur *lib.* 1. *de ſenect.* vid. *exercitationes noſtras. in Hiſt. Pompon. de Orig. Jur.* §. 9. Ex reliquis vero qui non erant ſenatorum ordini adſcripti, omnibusque tam patriciis quam plebejis familiis Romulus trecentos juvenes, quorum miniſterio & ad corporis cuſtodiam & ad neceſſaria munia obeunda uteretur, denos ex ſingulis curiis legit, qui *celeres* appellati. Quod nomen ipſis impoſitum a primo eorum duce Fabio Celere nonnulli tradunt. Alii ab ipſa re, id eſt celeritate miniſterii nomen habere volunt. His ita conſtitutis, honores & poteſtates in ſingulos ordines diſtribuit teſte Dionyſ. Halic. *lib.* 2. aliisque rerum Rom. Scriptoribus, ut quisque ſua poſſet obire munia. Penes ſe eſſe voluit principatum ſacrificiorum & reliquorum ſacrorum, atque ipſe voluit

obire quicquid ad placandos deos attinebat. Cum enim vulgus ob innatum omnibus hominibus ſenſum de primi alicujus entis exiſtentia, qui ſua decernit ſceleribus ſupplicia, virtutibus præmia, quod uno verbo Deum nuncupamus, ſolent maximam habere venerationem pro cultu divino, tum etiam pro iis, qui illam in ſe ſuſceperunt curam, quaſi in deorum ordinem aſſumpti, prudenter feciſſe Romulus dicendus videtur, ad conciliandam ſibi majorem venerationem apud plebem, & ad obtemperandum ſibi paratiores redderet cives, utque vulgus omnino a ſuo nutu & arbitrio penderet, quod ipſe ſibi ſacrificiorum & reliquorum ſacrorum, quę ad cultum divinum pertinebant, vindicavit principatum. Cui ſumma reipub. ſalutis cura commiſſa eſt, ea quoque commiſſa putare oportet, ſine quibus ſalus reipub. procurari

curari non poteſt, inter quæ ſi quicquam aliud, primum locum ſibi vindicat religio. Is enim qui religionis moderamen habet, uno ictu rempub. evertere & ſubditos majeſtati ſubtrahere, ut eſt vulgus, dicente Tacito 1. *annal.* ad ſuperſtitionem mobile, poteſt, quamobrem cum ſummo imperio pari paſſu ambulare oportet, neque ab eo ſeparari poteſt, quin in partes diſtraheretur reipub. corpus. Quoniam id ipſum cum ad imperii majeſtatem, tum etiam publicam tranquillitatem, a qua dependet conſervatio reipub. ſummopere eſt neceſſum. Quemadmodum enim unitas & concordia ſocietatis civilis vinculum, ita quoque oportet, ut unum ſit tantum ſummum aliquod imperium, a quo omnia tum ſacra tum profana dependent. Vix enim diu poſſet conſiſtere reipubl. corpus, ſi alter hanc partem, alter illam indepen-

denter fibi poffet vindicare admini-ftrandam atque curandam. Hoc effet imperium in imperio conftituere, qua ratione mifere dilacerata atque in partes diftracta refpub. brevi collaberetur. Non poteft enim dividi imperium & fummum effe, hoc enim contradictionem involveret, fed quod fummum dicitur, hoc eo fenfu fummum eft, ut nihil ei æquale vel par, fed omnia fub fe habet, & proinde univerfæ reipub. curam gerit. Quamobrem & interjecto tempore Cæfares eandem fibi curam & poteftatem vindicarunt. Conftat enim penes eos fuiffe fupremam facrorum & religionum curam, quamobrem PONTIFICIS MAXIMI dignitate ornati, qua appellatione ufi funt ab Augufto usque ad Gratianum imperatorem. Hinc & in nummis P. M. *Pontificis Maximi* titulus apponi folitus, ut ex infcriptionibus patet. Scribit

de

de Hadriano Spartianus, *eum sacra Romanorum diligentissime curasse, peregrina contempsisse*, PONTIFICIS MAXIMI *officium peregisse*. Et Servius *Æneid.* 3. notavit *majorum fuisse hanc consuetudinem, ut rex esset etiam sacerdos, vel pontifex. Unde hodieque* IMPERATORES *dicimus* PONTIFICES. Nec novam, sed antiquissimam hanc fuisse consuetudinem, vel sacra scriptura testatur de Melchisedek, quem & regia & pontificia dignitate ornatum fuisse legimus. Hinc apud Aristot. *polit.* 3. Rex imperator erat & judex, & rerum divinarum arbiter. Et Diogenes Pythagoricus apud Stobæum *Serm.* 96. *necesse est perfectum regem, imperatorem esse strenuum, & judicem & sacerdotem.* Sic patresfam. tanquam principes suæ familiæ sacra curabant, cujus exemplum nobis esse possunt patriarchæ; sic

Abraham circumcifionis facramentum adminiftravit. Sic inter *Arabes* vir pietate inclytus Job pro univerfa familia facrificavit *Job*. 1. 5. etiam ex Dei mandato *Job*. 42. 8. 9. quamobrem principibus & facerdotibus commune dari nomen obfervatum a viris doctis כהן ut in focero Mofis *Exod*. 2. 16. 3. 6. 18. 1. ubi interpretes, vocantur autem magiftratus & principes facerdotes etiam in fcripturis, eo quod olim utrumque officium & facerdotale & politicum penes illos erat, etiam apud Ethnicos; & quod magiftratus imprimis cultum Dei & quæ ad gloriam illius faciunt promovere debet. Quamobrem maxime *Dei minifter* vocatur *Rom*. 13. 4. Quamobrem & primogeniti, quia principatus familiæ ad ipfos devoluturus poft patris mortem, præ aliis fratribus facerdotali munere fungebantur ut volunt Hebræi. Hinc Hieron. *E-*

pift.

pist. ad Euagrium; simul & hoc tradunt, quod usque ad sacerdotium Aaron omnes primogeniti ex stirpe Noë, cujus series & ordo describitur, fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarint, & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo vendiderit Jacob. Hinc addi possunt quæ clariss. Heideggerus disserit de potestate patrumfam. tanquam principum & capitum familię, tum etiam primogenitorum prærogativa paterni tanquam imperii proximorum successorum, circa sacra faciunda, & muneris sacerdotalis functionem obtinendam, vi ejusmodi principatus in familiam paternam. *Illa*, inquit, *primogenitorum prærogativa cum limitatione accipienda videtur, ut quamvis iis competeret ordinarium munus sacrificandi & primaria post patriarcham in sacerdotio dignitas, sive in familia paterna adhuc hærentibus,*

bus, sive extra eam constitutis, tamen reliqui a sacrificandi munere non plane exclusi intelligantur. Probabile igitur est, cuique patrifam. seu capiti familiæ fas piumque fuisse sacrificare, & peculiare fuiße primogenito, ut ipsius vicibus defungi posset; patre autem defuncto, sicut primogenitus succedebat in locum patris & fiebat familiæ caput, quamdiu ipse cum fratribus unam familiam conflabat, sic illi soli hoc jus sacerdotii convenerit, non aliis, ita tamen, ut cæteri fratres, quam primum in aliam familiam commigrantes & ipsi familiæ caput facti sint, idem sacerdotii jus acquirerent, etsi non eadem dignitate qua primogeniti, qui in rebus omnibus antecellebant. Oecon. Pat. Exerc. I. §. 19.

Ita ut maxima semper fuerit consonantia magistraturæ cum sacra functione, usque adeo, ut in una per-

perſona conſpiraverit per bis mille annos. Et quamvis poſterioribus temporibus non ipſa ſacra curarent principes atque ſummi magiſtratus, quoniam aliis negotiis occupati, hiſce vacare non poterant, demandabant tamen curanda, reſervata ſibi facultate ordinandi ea, quæ ad ſacra peragenda eorumque curam pertinebant. Hinc Moſi jus gladii, id eſt ſummum imperium in fratrem Aaronem, qui ſacris curandis præerat, Jehova conceſſit atque tribuit, cum inquit *Aaron Levita frater tuus erit tibi oris loco, & tu eris ei inſtar Dei.* Loquendi formula, quæ & ſubjectionem & ſummi imperii delationem ſignificat. *Tu eris illi Deus* textus habet Hebraicus, id eſt te illi præficiam, ut tu ſis princeps, ſummi enim magiſtratus dii vocari ſolent, a quorum nutu & arbitrio pendent omnia, quæ ad ſocietatis procurationem, cujus & ſacra

facra pars, pertinent. Quamobrem, *principis esse curare salutem animarum, ac ejusdem saluti corporum prospicere*, inquit quidam Theologus. Sic quoque reges Judæorum non facerdotum, sed suo imperio religionem ordinarunt. Sic David Levitas instituit; *Chron.* 23. 24. 25. Salomon abdicato summo facerdote Abjatharo, in Sadocum hanc dignitatem contulit. Ezechias congregavit Judæos ad Pascha celebrandum, Levitas constituit, iisque suo jussu convocatis imperavit, ut templum sanctificarent 2 *Paral.* 29. 30. Josaphat facerdotes & Levitas ordidinavit. Imo obligatur magistratus, quatenus est nutritius Ecclesiæ, curare ea, quæ ad religionem & res facras pertinent, constituti enim *ad muros ejus* ædificandos. *Esai.* 60. Pertinet ad reges feculi Christianos, ut temporibus pacatam velint habere matrem suam Ecclesiam inquit Augustinus. Et

Et ut ſcribit Leo Pontifex I. ad Imperatorem Leon. *c. ult. diſt.* 26. *Debet Imperator advertere, regiam poteſtatem ſibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad eccleſiæ præſidium eſſe collatam. Non in eis tantummodo rebus diffundi noſtram ſolertiam, quibus populi ſub noſtro regimine poſiti pacatiſſime gubernentur & vivant. Sed etiam in adjutorio Chriſti extendimus nos ad ea, quæ ſunt cœleſtia, cogitare, quæ populos fideles faciunt, ſatagimus non neſcire.* Quamobrem imperatores Orientis ſibi jus vindicabant, ut ſine eorum conſenſu & ſcientia pontifex Romanus creari non poſſet. Unde Platina *in Pelag.* 2. *Nihil tum actum fuiſſet a clero, in eligendo pontifice, niſi ejus electionem imperator approbaſſet.* Sic etiam & abdicandi jus habebant; ſic Henricus II. abdicavit Gregorium VI. Imo ipſe Cle-

Clemens II. decretum fecit, Henrico imperante, ne sine ipsius autoritate pontifex Rom. crearetur. Hinc Gregorius VII. legatis Henrici respondit, *se consecrationem nunquam accepturum, nisi imperator consensisset*. Sic & reges Angliæ jus habuerunt investiendi Episcopos, ut perspici potest ex epistola, quam ad Clementem VI. misit.

Admodum itaque falluntur atque alios fallere conantur, qui hodie idem jus, eandem sacrorum curam magistratui incumbere negare non erubescunt. Nequit enim dari ecclesiæ regimen separatum a regimine politico, quasi per se subsistens. Repugnaret illud ipsum fabricæ societatis civilis, quæ tanquam unum corpus & aliquod totum nequit dividi in partes quin interire oporteat. Quemadmodum ex partium coalitione componitur, ita ex earum distractione dissolvitur & esse desinit, quod

quod fuit; si ecclesia est pars separata ab altera, quæ politica vocatur, non una sed duæ societates efficiuntur, duo constituuntur imperia, ita ut in illa insit imperium ecclesiasticum, in hac politicum, utrumque tanquam in communi suo subjecto. Cujusmodi divisio tollit unitatem & concordiam, qua sublata, corruit reipub. fabrica. Ubi vero una pars alteri subordinata, sub uno eodemq; imperio consociatæ & sibi devinctæ in unum corpus commode coalescere possunt. Sunt quidem in repub. & civili societate diversa separata & distincta collegia, quibus quorundam negotiorum ad reipub. pertinentium gubernationem cura demandata, sed hæc omnia subordinata sunt summo civili imperio, quemadmodum etiam conventus & collegia synodalia & classicalia, quibus cura demandata, ut Ecclesia gubernetur juxta præscri-

fcriptum a fummo magiftratu ordinem. Sic in fingulis oppidis ac pagis collegium ecclefiafticum oratoribus, five verbi divini miniftris, fenioribus ac diaconis conftans, quibus incumbit facra miniftrare, atque curare, ut omnia peragantur juxta ordinem præfcriptum. Tum etiam facultas ipfis conceffa in locum demortui paftoris alium eligere, non privata autoritate, & proprio arbitrio, fed interveniente confenfu & ratihabitione magiftratus, cujus jurisdictioni fubeft ecclefia. Meminerint itaque non fuæ effe jurisdictionis propriæ quæ agunt, fed alieno fefe ea habere beneficio, fi qua fibi commoda & jura imperii demandata, & proinde difcant uti prudentia, & animi moderatione ac æquitate, ne plus juris fibi vindicent, quam demandatum atque conceffum.

Quemadmodum Aaron pendebat ab

ab ore Mosis fratris sui, tanquam summi magistratus, eodem modo meminerint sese pendere ab ore & nutu sui magistratus verbi divini ministri & quotquot ecclesiæ curam gerunt ejusque regiminis participes, non solum qua subjecti & cives, sed etiam fungentes vice ejus, a quo, si quam habent potestatem, eam tanquam precario acceperunt, quamobrem diutius eam possidere nequeunt, quam placet ei, cujus vicem gerunt. Hæc iis dicta sunto, qui in hisce, quæ ad sacrorum curam pertinent spernere non erubescunt magistratus autoritatem, cui reverentiam, & obedientiam debemus in omnibus, ut inquit Apostolus, quasi non esset fori humani eorum procuratio & cura. Hinc dolos nectere, concussiones & pravas machinationes meditari proch dolor! etiam illos rerum usus docet ad evertendam magistratuum circa

ſacra poteſtatem & autoritatem omnem, quibus incumbit civium inſtillare animis illam doctrinam, quam Apoſtolus docet *Rom.* 13.1. *Ut omnis anima poteſtatibus ſubjecta ſit*, ſine exceptione conditionis, vel ſtatus, vel muneris, ſed unusquisque homo,. etiam apoſtoli, vates. Epiſcopi & prophetæ ac ſummi ſacerdotes veteris fœderis ſub regum & ſynedrii poteſtate erant, ut annotarunt viri docti ad hunc locum. Quamobrem inquit Molinæus, *Poteſtatem in foro externo indiviſam eſſe poteſtatem, tum a paſtoribus, eccleſia, ſynodis; tum a curiis, comitiis, cætu ducum, familiis, ſocietatibus quibuscunque habitam, in quibus legibus ab iis latis, homines vel ad obſequium vel ad pœnam obſtringuntur, unam eſſe & ab uno ſummo magiſtratu emanare & derivari; neque eatenus diviſam, ut dentur*

tur duæ poteſtates coordinatæ in rep.Chriſtiana,quarum altera à viris eccleſiaſticis, altera à laicis ſuſtineatur ,ſed plane alteram alteri ſubordinari. Cui & conveniunt quæ habet Muſculus *loc. com. Non docet magiſtratus , neque adminiſtrat ſacramenta, ſed faciunt hæc miniſtri ; in conſiſtorio non judicat magiſtratus ,ſed qui ad id officii ſunt ab eo conſtituti , & tamen ſuperior horum omnium autoritas & poteſtas , non eſt miniſtrorum, ſed magiſtratus : perinde atque in domo bene inſtituta, omnium eorum ,quæ agenda ſunt , autoritas & poteſtas ad patremfam. labores vero & miniſteria ad œconomum & familiam pertinent : hac diſtinctione ſatis multum relinquitur eccleſiæ miniſtris.* Imo & ipſam functionem paſtoralem ſubjici imperio magiſtratus meritò ſtatuit Pet. Martyr. Reformatæ eccleſiæ Helveticæ confeſ-

ſionis eſt, *Docemus religionis curam imprimis pertinere ad magiſtratum ſanctum.* Hinc Juſtinianus *cunctos populos quas clementiæ noſtræ regit imperium in tali volumus religione verſari. Cod. de fide Cath.* Nullus dubito, quin ſi magiſtratus ſupereſſe & adeſſe poſſet omnibus negotiis, quæ ad ſacrorum curam pertinent, omnia meliori modo & ordine peragerentur. Sunt enim multi, quorum pectora ambitio, invidia, odium internecinum, aliaque id genus & ſocietatis humanæ & civilis ac eccleſiæ tranquillitati noxia ſtudia obſederunt, qui in id unice incumbunt ac omnes ſuas cogitationes conferre ſolent, qua potiſſimum ratione animum tot vitiis contaminatum poſſint explere ſuum, non eccleſiæ, ſed ſui curam potiorem habentes, magno cum eccleſiæ & reipub. detrimento. Hinc tot certamina, tot diſcordiæ & rixæ,

tot

tot artes inventæ, ad arcendum a cura ſacrorum & paſtorali munere, illum, hunc admittendum, quia vel iisdem vitiis inquinatus, id eſt, magiſtratus autoritatis invidus, vel eadem circa ſacra opinione imbutus, iisdem favens doctrinæ dogmatibus. Qualis diſtinctio penitus eradicanda & exterminanda cum e repub. tum hominum animis. Utpote quæ mater & radix ac fons immortalis invidiæ & internecini odii, quo homo hominem, frater fratrem, collega collegam proſequitur. Hinc factiones, diſſidia; invidia enim contentionem, contentio ſciſſuram parit. Item verborum pugnæ & partium ſtudium, ac tandem eccleſiæ & reipub. miſera dilaceratio & in partes diſtractio. Unde illud *Ego ſum Pauli, alter ego ſum Apollos; quis eſt Paulus, aut quis Apollos, niſi miniſtri, per quos crediđiſtis*, 1 *Cor*. 3. Eodem enim

doctrina nititur fundamento, quod eſt Jeſus Chriſtus. Ad eundem finem & ſcopum collimare nobis eſt animus, id eſt, ut vos doceamus Chriſtum crucifixum, ultra quod ſapere nihil ſeſe amplius dicit alibi Apoſtolus. Ejus cognitione vos imbuere, ad eum ſincera fide amplectendum, tanquam & ſalutis ac æternæ beatitatis nobis acquiſitæ autorem, & adipiſcendæ ſpem unicam vos excitare noſtra doctrina nitimur. Hiſce incommodis nulla alia ratione obviam iri poſſe mihi videtur, quam interventu magiſtratus, tum etiam cavendo ne ad cœlitus nobis miſſam S.S.diſciplinam, quam Theologiam vocamus, docendam cuivis, nulla habita ratione generis, ſtatus, conditionis, pateret aditus; obnoxii enim magis hiſce vitiis, qui a ſordidis profecti initiis ad victum & amictum ſibi comparandum potius, quam ad ædificandam Chriſti eccleſiam,

&

& propagandam fidem, reducendos in viam ſalutis aberrantes, abutuntur veneranda hac diſciplina, quaſi eſſet ars mercenaria, quam qui parati ab iis rebus, quæ ad colenda hæc ſtudia neceſſariæ, de cæteris non ſolliciti, iis unice ſe devovent atque tradunt, non neceſſitate coacti, ſed animi propenſione & ſincero deſiderio inflammati. Hi veritatem indagando & perſcrutando intimos oraculorum divinorum receſſus, veri evadunt theologi, concordiæ & pacis amantiſſimi. Virtutis ope ſibi famam quærunt, non malis artibus. Illi ſæpius ambitioni inſervientes, dum famæ ſuæ conſulere nequeunt bonis artibus, id eſt doctrinæ ſublimitate & cœleſti ſapientia, aliis ſibi egregiis facinoribus famam parare ſtudent, & ad altius ſurgere vel muneris faſtigium, vel nominis famam celebriorem reddere conantur Et ſiquis eccleſiaſticas evolvat annales, inveniet

hoc genus hominum & ecclefiæ & reipub. pacem ac tranquillitatem femper fere perturbaffe. Non tamen velim omnibus interclufam ad colenda Theologiæ ftudia effe viam, cum & ipfe nonnullis in hoc deeffe non voluerim, quorum probitas, animi candor, morum integritas, erga Deum pietas, magiftratus reverentia, mihi teftata fuit, pacis ftudiofiffimis, invidia & odio vacuis; fed iis tantum, qui nec diligentiæ, nec judicii aut ingenii, vel moderati & æqui ac candidi animi aliquod ediderunt teftimonium. Quamobrem in veteri ecclefia moris fuiffe teftatur Apoftolus, ut nemo facris curandis præficeretur, nifi qui effent probatæ atque fpectatæ probitatis, qui aliorum teftimoniis tales effe probantur, quales oportet eligi ad docendos alios & facris minifteriis, five paftoris five fenioris præfici. *Adhibenda eft fum-*

ma

ma religio, inquit Calvinus, *in Act. Apoſt.c.* 6. *ne quis ad ſacram eccleſiæ functionem, multo magis ad munus paſtorale ſumatur, niſi qui experimentum ſui dederit.*

Quod facile conſtare poteſt, quibus demandata cura, ne quid reſpubl. vel eccleſia detrimenti capiat. Hac ratione poſſet præveniri, ne tam illotis ſæpe ſacra tractarentur manibus, atque illi, qui deſtinati paſtorali muneri ſuſcipiendo, tam cruda in forum propellerent ſua ſtudia, imo non ſua, ſed quæ ex ore magiſtri acceperunt, cujus ſi verba teneant & recitare ſciant, ſacri oratoris ſat cum laude ſuſtinuiſſe partes ſibi perſuadent. Deum precor, ut ſuo eos velit illuminare ſpiritu, & diſſipare tenebras, quæ offuſæ eorum mentibus, vel Euangelii doctrinam ipſe infundere animis rudis & innocentis ſæpe vulgi. Sed pace hæc eorum dixerim, qui

ſuum cuique jus tribuunt, & juxta Chriſti doctrinam Cæſari concedunt, quæ Cæſaris ſunt, id eſt, magiſtratui debitam reverentiam, venerationem & obedientiam præſtant, non alienis ſeſe rebus immiſcentes, ſed in timore domini ſuo officio funguntur. Qui omnes ſuas operas conferunt ad ædificandam Chriſti eccleſiam & erudiendum vulgus ea, quæ ſaluti & æternæ beatitati comparandæ inſerviunt; qui omnem conſumunt ætatem in perſcrutando & indagando divinorum oraculorum vero ſenſu, in explicandis dextre orthodoxæ & ſanæ religionis ac fidei capitibus, qui doctrinam de teſtamentis & fœderibus Dei, quibus nititur & fides noſtra & omnis divinus cultus, clare & diſtincte non inanibus verborum floſculis vel ambagibus, quibus nulla doctrinæ vis ineſt, nec confuſe proponunt; qui ex umbris ipſum corpus,

pus, ex tenebris lucem protrahunt. *Qui enim prophetat, loquitur hominibus ædificationem & exhortationem & consolationem*, inquit Apostolus. Hos admiror, hos veneror; nullam quippe disciplinam majori in existimatione & pretio habendam censeo, quam illam, quæ nobis viam aperit, qua grassamur ad summæ & omnibus numeris perfectæ cœlestis beatitatis ac nulla cogitatione assequendæ consummatæ gloriæ adipiscendam possessionem, cui nulla terrena voluptas & felicitas componi potest, quamobrem omnes, quibus hoc docendi munus incumbit, licet non pari fortasse, saltem ea, qua decet veneratione prosequi, mihi religio est. Detestor itaque quorundam petulantiam, qui abominandis & detestandis calumniis cum proximi, tum etiam magistratus autoritate sacræ Scripturæ interpretis famam proscinde-

re & conſpurcare auſi ſunt. Summopere enim intereſt reipub. ut cuique ſit fama ſua ſalva, quæ quibusvis rebus præſtantior, quarum conſervandarum intuitu homines in ſocietatem coaluerunt, & civili ſeſe ſummo ſubjecerunt imperio. Tum etiam ut venerationem habeamus pro iis, quibus docendi hoc munus a magiſtratu impoſitum; utpote qui ad efformandos hominum animos ad vitam civilem colendam ſummopere in repub. neceſſarii. Nam ut inquit Calvinus, paſtorum autoritas eo intacta ſervanda, quia inſtar fræni eſſe debet, ad coercendos plebis impetus, ne ultra modum exultent; ſublata quippe reverentia & veneratione, quam debemus & perſonę & doctrinę autoritas evaneſcit, & ſumma quoque læditur majeſtas, cui placuit ejusmodi functiones in rempub. introducere. Ac ita tandem ad effrænatam licentiam & efferatos mo-

mores & inconditam vivendi rationem delabuntur cives. Sublato quippe metu divino, cujus ſenſum nobis infundit ſacrarum literarum doctrina, tollitur & magiſtratus autoritas, cui obtemperandum, quia divinæ eſt ordinationis, ut docet Paulus. Autoritate autem erepta magiſtratibus, actum de ſocietate civili; nihil ſalvum, nihil intactum atque illibatum, nihil ſanctum ab improborum hominum pravis machinationibus & concuſſionibus haberi poteſt. Si quæ habent ſua miniſtri vitia, humanæ imbecillitati condonanda, & corrigenda a magiſtratu, ſi reipub. inde immineret aliquod damnum. Nemo enim ſine vitiis naſcitur; optimus ille, qui minimis urgetur. Duplici vero honore, veneratione & benevolentia dignus, qui adimplet officia, quæ cum magiſtratui, cum reip. cujus civis, tum doctrinæ, cujus miniſter eſt theologus, debet

1 Timoth. 6. 17. Testantur veterum monumenta Numam Pompilium, vana ac falsa divini cultus superstitione tunc temporis inclytum Romanorum regem, summam sibi cum autoritatem, tum & venerationem conciliasse apud populum, quod ipsis persuasisset se omnia sacra, ceremoniasque, omnemque cultum Deorum quasi monitu Deæ Egeriæ, cum qua sæpius colloquendi sibi concedi facultatem populo persuasum, docuisse atque introduxisse. Sane non minori veneratione prosequor, imo & benevolentia amplector verbi divini ministros, quibus tranquillitas & concordia civium, fratrum gratia & mutua benevolentia cordi est. Qui unice intendunt suo officio & munere fungi, ut decet virum probum, pium Euangelicæ doctrinæ præconem, quæ pacem inspirat hominum animis. Deus enim non Deus dissensionis, sed pacis

pacis & ordinis. 1 *Corinth.* 14. 13. quorum vis orationis & doctrinæ ſublimitas mihi perſuadet eam hauſiſſe ex ipſo fonte, eosque a Spiritu Sancto edoctos. Sed omnes tamen velim monitos, ne nimis altum ſapere cupiant; eſt modus in rebus; deteſtor luxuriantis ingenii nimiam curioſitatem, noſtrum eſt credere, quæ aperte revelare nobis Deo non placuit, & amplecti ſincera fide, quorum rationem propter ingenii noſtri imbecillitatem indagare nequimus. Spero mihi lectorem condonaturum, quod paulo longius a ſcopo aberraverim quam par fuit. Magiſtratus autoritatem, dignitatem & honorem tueri cujusque boni civis eſt, excitare & admonere nos mutuo hominis Chriſtianorum ſacris initiati officium efflagitat. Sed e diverticulo in viam. Ut omnia a ſuo nutu & arbitrio penderent in repub. negotia, non ſufficere ſacro-

rum penes ſe eſſe principatum arbitrabatur Romulus, ſunt quippe plura ſummi imperii jura, quæ divelli ab eo nequeunt, quin concidat ſimul majeſtas, quæ penes plures eſſe nequit. Quamobrem legum ac conſuetudinum patriarum ſibi quoque cuſtodiam vindicavit. Omnis juris, quod vel natura dictabat, vel pactis aut tabulis ſancitum, curam ſuſcepit. De graviſſimis delictis cognoſcendi aut decernendi ſibi reſervavit facultatem, leviora permiſit ſenatui, providendo interim ne quid in judiciis vel amor, vel odium, vel ira, vel avaritia judicis animum deflecteret ab eo, quod juſtum & æquum eſt. Senatum cogere, populum in concionem advocare tanquam ſummi imperii notas ſibi ſoli exiſtimavit competere. Quamobrem ſummæ conſulum majeſtatis maximam partem in eo collocat Polyb. *lib.*6. quod convocare potuerint

rint concionem, proferre edicta, & quæ in jure decreta fuerint, ad eos perferre. Primo loco ſententiam dixit, quod pluribus placuiſſet, id demum ratum eſſe voluit, ſi ipſe approbaſſet, quo enervavit omnem eorum, qui ſecum rempub. adminiſtrabant, autoritatem poteſtatemque. Senatui vero hæc munia tribuit, ut, de quibus a rege ad ipſum referretur, de his decerneret & ferret calculum, ita ut ſemper obtineret plurium ſententia. Plebi autem tria hæc commiſit, magiſtratus creare, leges ſancire, de bello, ſi rex permiſiſſet, decernere. Non tamen abſolutam in his populo poteſtatem eſſe voluit, niſi & ſenatus, qui a principis omnino pendebat nutu, in iisdem acceſſiſſet auctoritas. Ferebat autem populus ſuffragium non viritim, ſed per triginta curias diviſus, & quod pluribus curiis viſum eſſet, ad ſenatum

re-

referebant, ut approbaret, quæ plebi placuiſſent. Qui mos poſtea paulatim delabi cœpit, &, interjecto tempore, obtinuit, ut de plebis ſcitis non decerneret ſenatus, ſed de ſenatusconſultis plebi permiſſum fuit ſuffragium. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 2. Quemadmodum & omnis fere reipub. poteſtatem & majeſtatem penes populum, exactis regibus, fuiſſe, neminem fugere poteſt, qui non plane hoſpes in humanioribus literis. Verum ejusmodi imperii devolutio non ipſum mutavit reipub. corpus, cum iisdem legibus, quibus fundaverat eam Romulus, innixa manebat. Hiſce ita conſtitutis & in ordinem redactis, atque his jactis fundamentis ex incondita hominum multitudine perfectum ex ſuis partibus compoſitum corpus politicum efformatum, quod velluti anima corpore circumdata, ita quoque novæ urbis muris amplectebatur.

batur. In ea corpus quasi colligatum & coagulatum, non tantum conspiratione & consociatione animorum, sed & juris ac imperii, ejusdem arctissimum, ut dicere incepimus, vinculum societatis civilis. Cujus ipsi quemadmodum autores fuerant cives, ita penes eos radicaliter manet, & tanquam in suo subjecto inest, cum quo & subsistit, & interit ac evanescit. A Romulo itaque petenda reip. & imperii Romani origo, ille formavit & fundavit rempubl. ille genitor urbis Quirinus, & reipub. fundator fuit; ei sua debet incunabula, & ortus sui quasi parentem nuncupare necessum habet a quo efformata, ille primum corpori vitalem spiritum indidit, vel potius ipse fuit anima & vitæ quasi principium, qui summo ornatus imperio, toti corpori suam vim communicabat, ad operandum & agendum quicquid sibi

bi utile & conveniens fore judicabat. Diximus quidem in populo tanquam communi subjecto radicaliter imperium inesse, neque ab eo posse divelli, verum quia exercitium penes principem, quasi corpus mortuum debet considerari, quia quicquid agere potuisset reservata sibi ejus moderatione, agit jam princeps tanquam gerens personam populi; imo quia universa respub. quasi in sua persona consistit, hinc quicquid agit princeps, ipsa fecisse videri debet, quoad illa quæ delationi imperii ipso jure cohærent, & sine quibus non posset tractari, quemadmodum data jurisdictione ea quoque concessa esse videntur, sine quibus non potest explicari jurisdictio *l. 2. de Jurisd.* Atque in eo statu, quem reip. imposuit Romulus, omnia a suo quidem nutu pendebant, sed ea conditione, ut salus populi suprema ipsi lex esset, & tra-

ctandi

ctandi imperii norma & regula. Populi enim commodum primum in causa fuit societatis constituendæ & ineundæ, tum etiam creandorum magistratuum. Sit reipub. Romanæ origo nobis exemplar, populos non a magistratibus dimanasse, sed quicunque vel ab uno principe, vel ab electis a se primatibus regi voluerunt, antiquiores suis magistratibus fuerunt. Unde sequitur non populos propter magistratum, sed magistratus propter populum fuisse creatos. Quemadmodum tutor pupillo, non pupillus tutori constituitur: & pastor ob gregem, non grex ob pastorem. Quod & Homerus agnovit, reges populi pastores appellans. Quamobrem optime Cic. 2. *offic. Omnes qui reipub. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quæcunque agunt, ad eam referant, obliti com-*

commodorum suorum. Ut enim tutela, sic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui comissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.

Quamobrem Romulus populo facultatem tribuendam ratus eligendi talem reipub. formam, quam sibi utilem fore judicaret. Atqui monarchicum cæteris cum prætulissent imperium, etiam ea usus potestate, suoque arbitrio ordinavit rempub., atque populum in unum idemque corpus datis legibus coalescere sua opera effecit. Sed quantum est jura & leges esse in civitate, nisi sint qui jura regere possint, cui cum non unus sufficiat homo, varii magistratus constituti. Quemadmodum & aliis reipub. negotiis procurandis & peragendis suos magistratus præfecisse Romulum jam demonstravimus. His itaque omnibus in ordinem suum redactis, perfectum corpus poli-

politicum, ut diximus, efformavit. Consociatio vitæ civilis & communicatio juris ejusdem ac imperii recte societas civilis dicitur, verum ut ejusmodi consociatio perficiatur, & perfecta subsistat, multa oportet requisita adesse, quibus diligenter perspectis a Romulo, nihil ab eo prætermissum, quod ad rempubl. constituendam & formandam requirebatur. Verum cum ea omnia suam habeant relationem & convenientiam cum suo subjecto, cui inhærent inseparabiliter qua tali, quemadmodum qualitates personales insunt in singulis hominibus, quæ aliis nequeunt communicari, necessum est sublato subjecto, illa quoque evanescere, quæ ei inseparabiliter inhærent, quia specialem cum eo habent convenientiam. Atqui imperium est accessorium quid, inhærens corpori politico, quod cum eodem singularem habet relationem, aliis societatibus non

non communicabilem. Ita ut Romanum imperium illud tantum dici poffit, quod in illo corpore radicaliter ineft, cujus autor & fundator Romulus, confenfu multitudinis in unam eandemque focietatem coalefcere animum habentis, rex electus, data eidem facultate ejusmodi ftatum imponendi civitati, qualem judicaret optimum & communi confervationi & utilitati fore. Hoc corpus idem manet, quamdiu ejusdem juris & imperii confociatio & communicatio, unum ex altero fluit, quippe qui idem imperium agnofcunt, neceffe quoque habent eodem uti jure, iisdem legibus obtemperare, qui autem neceffum habent eadem obfervare jura, idem quoque venerari debent imperium, quia leges condere & jura dare eft vis & effectus imperii, quamobrem hæc femper pari paffu ambulant. Ita ut, qui idem imperium venerentur, inter

eos

eos quoque juris communio obtineat necessum est. Per juris vocabulum potissimum intelligimus jus illud quo fundata respublica, quo respub. sustinetur, quamvis ad omnes leges & jura, quæ quandoque a summa majestate proficiscuntur quocunq; tempore, stante rep. & salva societate applicari possit. Verum cum sermo nobis sit de successione & continuatione temporis, quo subsistunt nationes vel gentes diversæ, illud jus potius significare volumus, quod tanquam immutabile, quemadmodum cum ipso corpore sive societate incepit existere, ita etiam cum ejus interitu evanescit. Cujusmodi leges & jura cum imperio, id est, gubernandi ratione, tam arcte conjuncta, ut alterum ab altero nequeat divelli, quin ambo corruant. Quo vinculo dissoluto, etiam concidit corpus, quia tollitur hac ratione consociatio ejusdem juris & imperii.

rii. Quamobrem ipſum matrimonium, quo nulla arctior ſocietas, dicitur eſſe communicatio ejusdem juris cum divini tum humani. Sic eadem gens & familia eadem colebat ſacra, teſtimonium quod ſibi invicem ſanguinis conjunctione devinctiſſimi. Ubi itaque quædam ſocietas, ibi & regulariter ejusdem juris communio, ſi non in omnibus, ſaltem paucis exceptis. Hiſce præmiſſis indagandum nobis incumbit quamdiu corpus idem, idem populus Romanus, eadem reſpub., idem imperium dici potuerit, cujus a Romulo deducenda origo. Videndum itaque qualis mutatio efficere poſſit, ut idem non eſſe videatur corpus. Primo autem notandum quod corpus hoc artificiale ſe habeat inſtar corporis naturalis. Quod quemadmodum idem eſſe non deſinit, particulis paulatim commutatis, una manente ſpecie ſeu forma; ita populus idem

manet,

manet, idem civitatis corpus videtur, licet non ex iisdem conſtet particulis, id eſt membris, ex quibus initio coalitum, modo eadem ſpecies eadem ſcil. forma manet, quæ initio ei impoſita. Itaque licet partes ſeu membra intereant, atque in eorum locum ſubintrent alia, vel per nativitatem vel adjectionem aut migrationem & cooptationem in civium numerum & ordinem, manet tamen idem corpus, ſalva ejusdem ſpecie. Quippe cujus rei eadem exiſtit ſpecies, eadem quoque res exiſtimatur. Species enim & forma illa eſt quæ dat eſſe rei; quamobrem mutatis partibus, ſed manente eadem forma dicitur eadem res, non minus ſecundum Philoſophos quam JCtos, qui non ſimulatam, ſed veram philoſophiam profitentur. Sed non eodem ſenſu. Per formam philoſophi intelligunt ipſam rei ſubſtantiam & ut loqui

amant quidditatem, quæ ſemper invisibilis eſt, & quæ non tam ſpecies ipſa eſt, quam ſpeciem conſtituit ſimul cum materia quæ nec ipſa videtur. Sola enim ſunt accidentia quæ videntur & tanguntur. At Icti formam accipiunt pro ſpecie ipſa & ea conſtitutione rei naturali quæ in ſenſus incurrit, ſtatimque diverſam eſſe rem dicunt, quæ diverſam habet formam extrinſecam, licet ex eadem materia factam, Faber. *Rational. de jud. l.* 76. Sic idem videtur judicium, etſi omnes judices mutati, quia eadem ſpecies & forma manet judicii *d. l.* modo non omnes ſimul mutati, ſed per vices, vid. Donel. *lib.* 17.*cap.* 26. Sic idem populus nunc putatur qui abhinc centum annis fuerit, licet ex illis, qui tunc temporis vivebant & civitatis membra erant nullus ſuperſtes, modo non omnes ſimul mortui, ſed paulatim & per vices alii in demortuorum

tuorum locum ſuccedant. Quamdiu illa quæ populum facit & mutuis nexibus vincit communio cum juris tum imperii jus unitatis ſuæ ſervat. Et ut optime inquit Grotius, *Hinc ortus mos loquendi, ut populum, qui nunc eſt alloquentes, ei tribuamus quæ eidem populo ante multa ſæcula acciderunt, ut videre eſt apud Hiſtoricos, tum in libris ſacris ut Marci* 10.3. *Joh.*6. 32. *Sic apud Tacitum Antonius Primus Veſpaſiano militans milites Tertianos veterum admonet*, ut ſub M. Antonio Parthos, ſub Corbulone Armenios repuliſſent. Unde & illud Poetæ

- - - Habitante Camillo
Illic Vejis ſcil. Roma fuit.

Et Plutarch. *De ſera numinis vindicta. Civitas eſt res quædam unica & continens animalis inſtar, neque mutationibus ſecundum ætatem ſuam exuit naturam, aut ra-*

tione temporis alius fit ex alio, fed femper easdem erga fe affectiones, & naturæ fuæ confentaneas fervat, quamdiu communitas, quæ mutuis complexibus devincit unumque corpus efficit, unitatem fuam confervaverit. Quamobrem nec acceffio externa alium non efficit populum, quia fub eadem fpecie latent, id eft ejusdem juris & imperii fiunt participes, ejusdem civitatis vel focietatis membra. Sic eadem reip. Romanæ facies, & fpecies, Sabinis in civitatem adfcitis & ex duabus civitatibus una facta, confociatoque regno interiit Sabinorum civitas, aucta hac acceffione Romana. Quamquam vero hæc omnia de populi ætate & continuatione prædicari poffint, attamen quemadmodum nihil ftabile & perpetuum in rerum natura evenit, ut omnia quæ exiftere atque effe cęperunt, ad interitum fuum properent, quamobrem & ipfum hoc

hoc artificiale corpus instar naturalis corporis iisdem mutationibus obnoxium suum habet ortum & interitum, unumque cum altero commutando quod fuit, esse desinit. Itaque quamvis multa in secula propagata ejus fuerit ætas, tandem quoque per subitam sæpius mutationem interire rerum usus testatur, vel quasi jam senio confecta decrescit paulatim, donec intermoriatur & plane evanescat. Verum medium illud tempus, quod inter ortum & interitum intercedit, quia non tam speciem & formam, quam quidem interiorem corporis constitutionem accidentalem invisibilem mutat, non efficit ut idem esse desinat. Quamvis enim quis sit decrepitæ senectutis, esse tamen non desinit idem homo, qui fuit cum adhuc ab uberibus pendebat matris, sed per ætatis gradus, distinctis vitæ periodis sive temporibus, qui olim infans jam adolescens,

juvenis jam ſenex dicitur, atque hac appellatione homines a ſe diſtinguuntur, non figura nec forma, quæ omnibus ejusdem ſexus eadem contigit, ſcil. humana, quæ integra manet usque in pulverem converſa. Ejusmodi ætatis mutationes ſubiiſſe Romanam rempub. Florus teſtatur, cum inquit. *Si quis ergo populum Romanum quaſi hominem conſideret, totamque ejus ætatem percenſeat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quaſi ad quendam juventutis florem pervenerit, ut poſtea velut conſenuerit, donec plane interiit, quatuor gradus proceſſusque ejus inveniet*. Prima ætas ſub regibus fuit, atque hæc ejus erit infantia. Sub conſulibus adoleviſſe non immerito quis dixerit. Sub Cæſ. Auguſto maxime floruit, cujus ſub imperio quaſi ad juventam & robuſtam quandam maturitatem perveniſſe dici poteſt: a Cæſare vero Auguſto & deinceps con-

consenescere atque decoquere incepit, nisi quod sub Trajano optimo principe movet lacertos, & præter spem omnium, senectus imperii, quasi reddita juventute, revirescere videretur, donec tandem, variis jactata fortunæ cladibus, irrumpentibus Barbaris, in diversa distracta regna & divisa imperia, rupto unitatis vinculo, concidisse & plane interiisse videretur, ita ut Romana respub. in ipsa Roma quæreretur. Quamdiu enim unum idemque imperium populus venerabatur, eadem consociatio & communitas juris, legum, urbis, fori, theatri, territorii, onerum & commodorum communicatio, idem corpus, eadem respub. videbatur. Sed diviso imperio, mutata specie, distracta communitate, sublatis legibus, quibus respub. innitebatur ac fundata erat, dissoluto societatis vinculo, dissolvebatur & corporis tam vasti

compages, quem excepit reipubl. totius interitus. *Rempub. nec dividi posse nec debere* vox olim fuit Cæsaris Constantii ad Gallum teste Marcell. *lib.* 14. Itaque ut inquit Grotius, sicut particularum mutatio nec etiam accessio & augmentum vel consociatio & coalitio duorum populorum non efficit ut populus esse desinat qui fuit, fieri tamen potest ut alia ratione intereat populus. Fit autem hoc dupliciter, interitu corporis aut interitu speciei. Id est sublata aut omni aut perfecta juris & imperii communitate. Interit autem corpus vel sublatis simul partibus necessariis, ex quibus consistit vel compositum, vel sublata corporis ratione; illud contingit in eversione urbium & extinctione incolarum, deditione spontanea ad internecionem, tum etiam violenta occupatione, quod enim jure belli capit victor, nostrum esse

desinit,

desinit, sic civitas esse desinit aratro inducto *l. 21. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Sic actum fuisset de Romana republ. capta a Gallis urbe, nisi excusso eorum jugo se in pristinam libertatem sua virtute vindicassent Romani. Interire quoque corpus diximus sublata corporis ratione, *quæ tollitur, si cives aut sponte ob pestilentiam, aut seditionem a societate discedant, aut vi ita distrahantur, ut coire non possint, quod bellis accidit interdum, Grot. de jur. bel. & pac. lib. 2. cap. 9. §. 5.* Quemadmodum unumquodque eodem modo dissolvitur quo colligatur, ita societas sicuti coalitione partium nascitur, id est mutuo congressu in unum conveniunt, ita earum dissolutione, id est discessu interit, sublata enim connexione mutua, tollitur illud cui totum innititur. Quemadmodum partium connexus efficit totum, sive corpus,

quod concipi nequit nisi tanquam totum ex partibus suis compositum: ita earum divortium & dissolutio corporis interitum adfert. Ejusmodi vero dissolutio vel coacta est vel voluntaria; coacta quæ fit per violentam distractionem. Voluntaria quæ sponte fit, discedentibus civibus vel ob pestilentiam, seditionem, aut similes rationes. Quamvis hæ causæ necessitatem discedendi videntur adferre, attamen manet libera eligendi voluntas an manere velint vel discedere. Quod secus, ubi vis discedendi causa. Quando alienum non proprium arbitrium agendi debellatis regula, neque eligendi libera facultas relicta, sed amplectendi quæ ab alio proponuntur necessitas cuique imposita veterum colonorum seu civium. Cum hisce obtemperare dictis necessum est, hæc mea sunt, veteres migrate coloni. Cum territorium

&

& cœlum mutare non voluntatis,ſed neceſſitatis eſt. Cujus nobis exemplum Senatusconſultum de rebus Campanis factum, præbet Liv.*lib.* 26.*cap.* 34. Alio modo corpus ſive populum interire diximus, quando nulla forma,nulla ſpecies populi ſive ſocietatis civilis reliqua. Quod fit, vel ſublata omni vel perfecta juris communitate. Omnis penitus juris & imperii communitas tollitur, quando cives ſinguli diſtracti paſſim diverſis civitatibus accreſcunt, ſive libertatem perſonalem retineant, ſive ad ſervilem conditionem redigantur. *Sic Capuam tanquam urbem habitari frequentarique placuit Romanis: corpus nullum civitatis, nec ſenatus, nec plebis conſilium, nec magiſtratus eſſe, ſine conſilio publico, ſine imperio multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem fore, præfectum ad jura reddenda ab*

Roma quotannis miſſuros. Liv. l. 26. *c.* 16. Hac ratione interioribus ſocietatis civilis ſive reipub. vinculis diſſolutis, concidit ejus fabrica ac tota corruit, quamobrem ne imago quidem Capuæ reipub. reliqua ſublatis partibus neceſſariis, quæ corpus ſuſtinent & quaſi in unum coire ac coaleſcere efficiunt. Perfecta autem tollitur juris communitas inter ſingula ejusdem populi vel civitatis membra, ſi ſinguli cives retinent quidem libertatem perſonalem, ita tamen ut alterius imperium ſubire neceſſum habeant. Pufend. *lib.* 8. *cap.* 12. *de jur. natur. gent.* Quales populi in provinciæ formam redacti. Erant enim provinciæ regiones, quas Romani vi & armis ſubegerant & ſuæ adjecerant ditioni, & proinde parebant Romano imperio, ad quas adminiſtrandas magiſtratus cum imperio ac poteſtate mittebantur. In iis jus dicentes.

tes: Quarum aliæ dicebantur liberæ, in quibus ſcil. jus dicendi facultas non erat magiſtratibus populi Rom. quia non parebant ejus imperio, ſed ſuis legibus & magiſtratibus utebantur. Et proinde illæ vix dici poterant amiſiſſe ſpeciem veteris reipub. Mutatio vero loci, oppidorumque, vel munimentorum detractio efficere nequit, ut populus idem eſſe deſinat, ſive ſponte ſive neceſſitate exigente facta. Modo eadem ſpecies maneat, id eſt, communitas juris & imperii obtineat. Sic aliquando integræ gentes ac nationes ſuas ſedes mutaſſe tradunt Annales: territorium enim ad conſtituendum & componendum corpus hoc artificiale, nec compoſitum conſervandum & ſuſtinendum aliquid confert; quippe extrinſecum hoc eſt aliquid & ſeparatum a corporis fabrica & conſtitutione interiori. Ut in loco aliquo conſiſtat neceſſum

necessum, sed non speciali & singulari, cum quo tam arctissimo vinculo conjunctum manere oporteret, ut a se invicem non possent separari nisi cum interitu utriusque. Corpus enim reipubl. per se subsistit ex ejusmodi partibus, quas annotavimus. Quamobrem non populus a territorio vel urbe quas sibi ad inhabitandum excitavit, sed urbes & regiones a populo sive ejus principe. Hinc *Psalm* 49. *Induunt nomina suis regionibus*, ut terra Canaam, Assur, sic Antiochus Rex excitavit Antiochiam, Seleucus Seleuciam, denominationem suam sortiuntur. Sic Roma a conditore suo Romulo dicta, sic testatur Livius Troja capta, Antenorem casibus *variis cum multitudine Henetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi, sedes quærebant, venisse in intimum maris Adriatici Sinum: Euganeisque qui inter mare Al-*
pesque

pesque incolebant, pulsis, Henetos, Trojanosque, eas tenuisse terras: & in quem primum egressi sunt locum, Troja vocatur; pagoque inde Trojano nomen est. Gens universa Veneti appellati. Æneam autem ab simili clade domo profugum, sed ad majora initia rerum ducentibus fatis, primo venisse in Macedoniam: inde in Siciliam quærentem sedes delatum: ab Sicilia classe Laurentem tenuisse agrum. Troja & huic loco nomen est. lib. 1. princ. Si autem loci vel oppidi mutatio non efficit, ut populus esse desinat, ergo multo minus si muri tantum urbis disjecti, vel munimenta detracta, manet salvum quod intus est & civitatem constituit; quemadmodum salva esse potest familia eversa domo vel ejus parte collapsa. Et contentum subsistere potest, licet non existat illud, quo continetur. Hinc urbs qua muro cincta

ut

ut ædificia intra muros extantia distinguitur a civitate, quæ civium ut supra annotavimus, cœtum seu congregationem significat. Ideo civitas a publio Cornelio Scipione dicta fuit civium unitas. Quamobrem legatum relictum civibus, intelligitur relictum ipsi civitati. *l.2. ff. de reb. dub.* Quam distinctionem eleganter exprimit Cicero *in Orat. pro Sextio*, ubi ita inquit, *Cum conventicula hominum quas postea civitates nominaverant, tum domicilia conjuncta quas urbes dicimus*. Urbis itaque muri cum nihil ad ipsam pertineant civitatem, nisi quatenus ejus domicilium, eorundem mutatio non afficit corpus interius, quod muris ædificiisque continetur. Quemadmodum etiam nec forma accidentalis imperii mutat interiorem corporis constitutionem, & proinde nec ipsum corpus. Accidentalem imperii formam vocamus

mus quæ consistit in numero imperantium, unde variæ illæ denominationes regiminis, quas supr. annotavimus, ut aliud dicatur monarchicum, aliud aristocraticum, aliud democraticum imperium prout unus, vel plures, vel omnes reipubl. administrationem suscipiunt. Lampadius hanc quæstionem ita explicat. *Forma cujusque imperii essentialis & subjectum adæquatum, non est monarchia, vel aristocratia; sed formæ hæ sunt accidentales, subjecto tantum communi differentes. Etenim respub. separatim & unum & paucos & multos potest habere dominos; qui quidem subjecto existentiæ differunt, non vero actu essentiæ. Potestas igitur toti reipub. inhæret, ut subjecto adæquato, extra respectum unius vel plurium.* Cui illa Grotii conveniunt. *Neque refert quomodo gubernetur populus seu civitas,*

tas, regiove, an plurium, an multitudinis imperio. Idem enim est populus Romanus sub regibus, consulibus, Imperatoribus. Imo etiamsi plenissimo jure regnetur, populus idem erit qui antea erat cum sui esset juris, dum rex ei præsit ut caput istius populi, non ut caput alterius populi. lib. 2. cap. 9. §. 8. Itaque accidentali forma mutata, non desinit esse idem populus, dum servat proprium sibi imperium, propria jura, separatum ab aliis corpus est, suis partibus, suis visceribus constans, quod sua gubernatur anima, id est suo imperio regitur, suos habet magistratus, penes quem residet actu imperium, quod originaliter & radicaliter consistit & fundatum in ipso corpore, id est populo, tanquam toto, cujus pars præcipua princeps tanquam caput, sed acquiescens & quasi intermortuum, dum ejus exercitium & moderatio

ratio in principem translata, & proinde penes eum reſidet imperii vis & majeſtas, quemadmodum in capite animæ ſedem nonnulli ſtatuunt. Ille repræſentat civitatem atque ejus nomine agit, quæ vi imperii exequitur. Quicquid ille imperat imperare videtur univerſus populus. Salvo itaque populo ſalvum quoque imperium, eo vero extincto & evaneſcit ac interit imperium. Quia radicaliter in eo tanquam ſubjecto ſuo naturali, ut ita dicam, ineſt: quippe quod proprium ſubjectum imperii vocamus ſcil. perſona principis vel magiſtratus, cui ſumma rerum conceſſa, ſubjectum formale, dici poteſt, quaſi facto humano interveniente, ad moderandum imperium formatum & conſtitutum in quo non ineſt ipſum imperium, ſed ejus tantum moderamen & exercitium. Quamobrem eo mortuo non evaneſcit imperium, ſed redit ad populum

lum, a quo nunquam nisi actu fuit separatum, facultas illud iterum conferendi vel in unum vel plures, si velit reip. gubernandæ formam mutare, cujusmodi mutatio regiminis, quia accidentalis, ut dicere incepimus, non ipsam civitatem, quæ consistit in cœtu hominum sub uno eodemque imperio juris fruendi & communis utilitatis causa sociato. Grot. *lib.* 1. *cap.* 1. §. 14. in qua consociatione & communicatione posita essentia civitatis sive imperii civilis. Quod in unum cœtum contrahit tot partes & diversa membra quibus constat reipub. corpus, & æquali vinculo omnes sibi invicem alligat cives. Forma regiminis a qua civitas certam denominationem accipit, nihil habet commune cum illa consociatione ejusdem juris & imperii, quæ sunt duo interiora vincula quibus totum corpus tam arcte cum partibus suis unitum est, ut hisce

ce ruptis nequeat ſubſiſtere. Quidquid extrinſece ei accedit, modo hæc unitas ſalva & integra maneat, corporis forma quidem poſſet mutari, nihil tamen ab eo pateretur ejusdem eſſentia. Sic ipſo imperio ſublato corrueret, forma vero mutata regiminis, quæ accidentalis eſt, conſiſtens, ut diximus, in numero imperantium, non afficit ipſius corporis eſſentiam nec ſpeciem ei ſemel impoſitam, qua concipimus illud eſſe quod eſt & fuit, cum exiſtere incepit: eſt enim ejusmodi conſociatio prior omni civili poteſtate, quatenus in actu conſiſtit. Pactum enim illud, quo inter ſe convenerunt cives idem ſe velle & idem nolle, communem ſalutem junctis viribus tueri, utilitatem promoturos omnia in commune collaturos quæ huic inſerviunt; idem imperium veneraturos, fundamentum eſt, quo conſociatio & conſpiratio partium ad unum

unum eundemque collimandum finem nititur, & reipub. fabrica sustinetur, idque præcessit ipsam imperii constitutionem & delationem, non tamen essentiam, utpote quæ cum ipsa conjunctione partium residere incipit apud universam societatem, quia imperium civile, ut alibi annotavimus, ideoque ex nullo fonte derivari potest, quam imperio, quod quisque paterfam. habuit in semetipsum & familiam ejusque membra, præcessitq; quoque habendi imperii ac deferendi modum. Necessarium quidem ut summum aliquod imperium actu constituatur, quod civitatem tanquam corpus ex tot partibus compositum quasi coagulat, quia ubi exulat unitas animorum & voluntatum ad unum eundem finem collimantium, civitatem concidere necessum est. Talis vero unitas & animorum concordia & voluntatum harmonia haberi nequit, nisi constitu-

ſtituto ſummo aliquo imperio, cui omnium voluntates ſubjectæ, ita ut voluntas principis ſit pro voluntate omnium. Nihil enim conſtans vel durabile quod ab unitate recedit. An vero illud imperium quod habet ſuam relationem & arctiſſimam convenientiam cum corpore ſive rep. ſit penes unum vel paucos, nihil intereſt reip. neque ab eo mutationem patitur. Modo cœtera ligamenta maneant integra & intacta, ſcil. qua cœtus ſociatus ut eodem jure & imperio, non forma, quæ accidentalis eſt, fruetur. In hac conſociatione & communitate tota conſiſtit eſſentia & vis ſocietatis. Hinc publica omnium communia inter ejusdem civitatis membra, jura, leges, cum etiam fora, ſtadia, tellus, commoda & onera imperii. Oportet enim ut qui æquales conditione & ſtatu, jurę etiam fruantur æquo, & communi. Quemadmodum

dum omnes artus corporis humani ejusdem alimenti fiunt participes, quo corpus alitur. Aliud dicendum mihi videtur quando duæ civitates adeo mifcentur, ut quæ propria jura propriumque imperium habuerint, jam in unum coeant & jungantur corpus, atque fub uno eodemque imperio coalefcant, abolito priftino regimine, & fublatis legibus fundamentalibus, quibus innitebatur cujusque civitatis ftructura & fabrica. Ex ifta coalitione novam quandam civitatem excitari arbitror, quemadmodum enim antequam unita & coalita quæque civitas erat corpus per fe fubfiftens ex fuis partibus compofitum, jam partis vicem gerunt, ad conftituendum novum corpus, five aliud totum. Quapropter ob iftam novam coalitionem, induunt fibi novam qualitatem & functionem, qua effe definunt, quod antea fuere. Quippe fer-

ſermonem habemus de unione quæ fit quaſi per confuſionem vel commixtionem unius populi cum altero, ut ita dicam. Quippe unio quæ fit per modum pacti interpoſiti ſive fœderis, non mutat eſſentiam utriusque civitatis, ſed pari jure conjungit. Limitatur quidem aliquando libertas agendi & faciendi quæ velit liber populus, verun non tolluntur eſſentialia requiſita, quibus ſocietatis civilis fabrica nititur tanquam ſuo fundamento. Quamvis uterque ſibi jura reſervaverit populus, quibus uſus eſt quisque, attamen iſta juris communicatione tollitur conſociatio imperii & juris, quod cum excluſione alterius inter utriusque civitatis membra obtinebat, qua ratione tanquam diverſa corpora a ſe invicem ſeparabantur duo populi diverſi, qui quemadmodum in unum populum regnumque coaleſcere cupiunt; ita quoque

dem jure vel ex utriusque proprio jure compoſito, vel plane novo uti ipſis placuit; *Nam ut* inquit Pufend. *l.8.c.12. uniri civitates diverſæ, ut maneat quæque quod fuit, non poſſunt, niſi per modum arctioris fœderis; quod ſyſtema aliquod, non autem civitatem proprie dictam producere aptum eſt.* Aſt vero ubi una civitas alteri ita conjungitur, ut uni quidem ſua reip. ſedes maneat, alterius vero cives relicta ſede ſua in alterius civitatis jura ſedemque adſciſcantur, non quidem novum regnum condunt vel novam civitatem conſtituunt, ſed manet idem populus, qui ſedem ſuam retinet & in ſocietatem alterum populum adſciſcit, perit vero qui adſciſcitur, incrementum enim non mutat corporis eſſentiam. Sic Sabinorum primo, deinde Albanorum jus in Romanos transfuſum eſt & ex duabus una facta reſpub. Contra evenit, ut quæ

una

una civitas fuerat, dividatur, & ex uno imperio duo resultent, aut mutuo consensu aut vi bellica. *Sicut corpus imperii Persici divisum est in successores Alexandri. Quod cum fit, plura pro uno existunt imperia cum suo jure in partes singulas. Si quid autem commune fuerit, id aut communiter est administrandum, aut pro ratis portionibus dividendum.* Grot. *l.* 2. *c.* 9. §. 10. Huc etiam pertinere, inquit, discessionem, quæ ex consensu fit in colonias. Verum si rem accurate expendimus, non videtur civitas mutata unde emissa colonia, utpote quæ considerari debet tanquam proles urbis matricis, cujus & pars manebant, quæ olim a Romanis deducebantur coloniæ. Deducendarum coloniarum mos institutus primum a Romulo. *Quippe hostibus lacessentibus victis, agrique & regionis parte multatis, in agris de eis captis, quo imperium*

Romanum ſtabilirent, vel novas urbes condebant, vel in antiquitus conditas, veteribus incolis ex iis pulſis, novos ex urbe cives per III viros ad id creatos deducebant, quotquot agro capto colendo ſufficerent, quem novis colonis dividebant. Onuphr. Pavin. *deſcript. imper. Rom. lib.* 3. Etiamnum dependent a populo a quo emiſſæ, cujus protectione & auxilio ſæpe opus ipſis. Quamobrem conſtitutum ut ſingulæ coloniæ annuam penſionem in recognitionem majeſtatis, quæ apud populum Romanum reſidebat, quam & ipſæ venerari neceſſum habebant, penderent, niſi ipſis remiſſa. Sic Livius Druſus teſte Plutarcho *in vita Gracchorum.* Duodecim colonias ſine onere penſionis deduxit. Et Ilienſibus Claudius Romanorum imperator, quaſi Romanæ gentis authoribus, ut ex Livio conſtat, tributa

tributa in perpetuum remisit, & Seleuco regi societatem & amicitiam est pollicitus, si Ilienses ab omni onere immunes præstitisset, referente Suetonio *in ejus vita cap.* 25. utpote cum quibus Romanis magna intercedebat necessitudo, teste Livio. Quamobrem consanguineos suos appellat Claudius, unde Calistratus *lib.* 7. §. 1. *ff. de excus. tut.* Iliensibus senatusconsultis & constitutionibus principum plenissimam immunitatem tributam tradit. Appellabantur hæ coloniæ juris Italici, quarum nonnullas recenset Ulpianus *l.* 1. & 6. & Paulus *l.* 7. *ff. de cens.* Ita erant quasi tenues imagines & effigies amplitudinis majestatisque Romani imperii. Et quemadmodum dicere incepimus, per coloniarium ejusmodi deductionem Romana civitas non tam mutata quam quidem propagata videbatur, utpote cujus referebant imaginem. Tradit

tamen Sueton. *in vita Aug. cap.* 46. Duodetriginta colonias per Italiam deductas etiam jure ac dignatione quodammodo pro parte aliqua adæquaſſe Auguſtum, *Excogitato genere ſuffragiorum*, inquit, *quæ de magiſtratibus urbicis decuriones colonici in ſua quisque colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent.* In cæteris omnibus more, legibus, inſtitutis Roman. vivebant. Hiſce præmiſſis ad nobilem illam & arduam cum apud Hiſtoricos, tum etiam JCtos quæſtionem diſſertationis filum ſequens tranſeo. An, ut eam proponit Magnus Grotius *lib.* 2. *cap.* 9. ea, quæ olim fuere Romani imperii, pertineant ad illos, a quibus hodie poſſidentur, vel Germanici regni ſive imperii propter tranſlationem imperii Romani factam in Carolum Magnum. Negat author ullam mutationem Romani

mani imperii contigiſſe, vel translationem factam fuiſſe, *quare & populum Romanum eundem eſſe ſtatuit qui olim fuit, quanquam extraneorum acceſſione admixtum, & imperium penes eum manſiſſe, tanquam penes corpus in quo eſſet ac viveret. Nam*, inquit, *quæ olim facere jure potuit populus Romanus antequam imperatores Romani regnarent, idem faciendi jus habuit ut quisque imperator mortuus erat, alio nondum exiſtente. Imo & electio imperatoris ad populum pertinebat, & aliquoties a populo per ſenatum facta eſt: quæ autem a legionibus modo his modo illis fiebant electiones non erant ratæ ex jure legionum (nam in vago nomine jus certum eſſe non poterat) ſed ex approbatione populi.* In hac quæſtione determinanda nec Germanorum partes, nec Grotii rationes amplecti poſſum, poſito pro diſputatio-

nis noſtræ fundamento, iis, quæ in antecedentibus de populorum & rerumpubl. mutatione & interitu delibavimus. Ut autem rectam diſputandi rationem ſequamur, prius examinabimus rationes, quibus author conatur confirmare ea, quæ tradit de imperii penes populum Romanum, qui hodie nomine tenus ita vocatur, exiſtentia & continuatione; tum deinceps de imperii Romani ad Germanos translatione libere ea quæ ſentimus dicere non erubeſcemus. Authoris eo collimat intentionis acies, primo ut probet populum Romanum eundem eſſe hodie, qui fuit olim. Deinde ut oſtendat penes populum olim imperium fuiſſe tanquam ſubjectum commune cui inhæret inſeparabiliter, & proinde quamdiu ejusmodi ſubjectum exiſtit, tamdiu penes idem quoque imperium reſidere, quamobrem poſito quod hodie populus Romanus idem ſit,

ſit, qui fuit olim, ſequitur imperium penes eundem manſiſſe tanquam corpus, in quo eſſet ac viveret. Qua de cauſa nulla mutatio nec translatio imperii facta cenſeri poteſt. Miror virum in omnibus diſciplinis & omni eruditionis genere verſatum, adeo cæcutire potuiſſe circa ea, quæ ad hanc quæſtionem determinandam referri poſſunt, & pertinent. Si ea quæ de origine & conſtitutione reipubl. Romanæ princip. hujus diſſertationis diſputavimus, cum præſenti ejus facie conferre placet lectori, nullus dubito, quin mecum facile perſpecturus dudum evanuiſſe reipubl. corpus, deſtitutum & viſceribus ſuis & omnibus partibus ex quibus conſtare voluit ejusdem conditor & author Romulus, ita ut hodie ne quidem ejus ulla ſuperſint veſtigia, niſi rudera quædam urbis, quæ civitatis corpus ſuis muris olim amplectebatur,

batur, atque ita corpore ſublato ipſa ſpecies quoque eſſe deſinit. Interit autem, ut dictum reip. corpus vel ſublatis partibus, vel ſublata corporis ratione. Utrumque contigiſſe in populo Romano dicendum mihi videtur, idque etiam antequam Carolus M. imperii faſces accepit, & proinde nec ea, quæ olim cum integrum adhuc corpus imperii Romani fuêre, hodie Germanici ſive regni ſive imperii eadem eſſe dici nequeunt quaſi injuſto titulo ab eo diſtracta & avulſa. Primo enim ceſſante imperii titulo, ceſſant quoque effectus, quo res imperio ſubjectas ſibi quaſi jure ſuo vindicare poteſt ejusdem poſſeſſor. Deinde quemadmodum nihil magis naturale, quam quod unumquodque eodem modo diſſolvatur, quo eſt colligatum, ita quoque quemadmodum jure belli & armis Romanum imperium ad tantam creverat magnitu-

gnitudinem, ut quasi mole laboraret sua, ita ut merito sese orbis dominos dicere possent imperatores, ita quoque jure belli multas provincias & regiones amiserunt, quæ hodie eodem justo titulo a victoribus vel eorundem successoribus possidentur, quo olim Romanorum ditioni adjectæ fuerunt. Cui etiam accedit, quod multa quoque vel conventionibus vel fœdere sive pacto interposito, vel permutationis, vel successionis sive ex testamento sive intestati, titulo alieno cesserunt imperio & dominio. Posset sibi jus aliquod reservatum prætendere imperator in illos populos, qui jure belli devictos se interjecto tempore in pristinam libertatem vindicarunt vi & armis, vel per rebellionem & discessionem ab illo corpore, cujus pars erant, & a quo discedere nisi consensu totius populi sive capitis id est legitimi principis ipsis nefas erat, divortium

fecerunt, verum quoniam hoc jus dimanare oporteret ex ficta aliqua translatione imperii Romani in Carolum M. qualis nunquam facta, vel saltem legitime fieri non potuit, quia corpore illo, penes quod residere debuisset, sublato vel extincto, imperium quoque evanuit, quod in eo tanquam subjecto suo est ac vivit, quatenus necessariam cum suo subjecto habet relationem mutuam. Quippe quoniam translatio esset imperii acquisiti titulus, nulla autem translatio fingi potest, nisi existat transferens ac habens sua in potestate jus illud, quod transferret, nemo quippe plus juris in alium transferre potest, quam ipse habet, ergo sequitur extincto, ut ita dicam populo Romano, evanuisse quoque imperium ejusque jura in provincias & regiones ditioni suæ adjectas vel jure belli, vel alio justo titulo acquisitas. Quamobrem si

Ger-

Germani regni vel imperii ea dicuntur quæ olim imperii Romani, prius probandum translationem ejusmodi factam; atqui fieri non potuit extincto jam populo eo tempore, quo factam fuisse dicendum, ergo & corruit omnis juris prætensio in ea, quæ olim fuere imperii Romani, quasi per eam Germanici regni sive imperii facta. Quia ut dicere incepimus, in corpore inseparabiliter inhæret imperium, & quidem ejusmodi imperium, quod singularem ac peculiarem cum eo habet convenientiam & relationem, ita ut ne quidem communicabile sit, nisi per accessionem aliarum partium ad corpus commune, quemadmodum sese spiritus vitales communicant omnibus partibus quæ cum eodem corpore junguntur & coalescunt. Quamobrem rex qui præest huic populo ut ejus caput. (Hinc apud *Tac.an.*1.13. *Quousque*

patieris, Cæfar, non adeſſe caput reipub.) non poteſt eſſe caput alterius populi tanquam corporis ſeparati. Divelli nequit a ſuo corpore niſi cum utriusque interitu; quemadmodum nec a patrefam. imperium in natos natasque ac ſervos & famulos unum idemque omnes corpus conſtituentes. Quamobrem recte ſtatuit Grotius, quamdiu ſucceſſionis continuatione populus idem eſſe videtur, penes eum quoque manere imperium ejusque deferendi facultatem habet quoties vacat imperium, id eſt, actu imperans deeſt. Ut vero idem videatur, non ſufficit ut pars quædam ſuperſtes, ſed oportet idem corpus ex iisdem particulis, non ex quibus initio compoſitum, ſed ſucceſſive conſervatum, conſtare, & quidem eodem modo, id eſt, ex iisdem viſceribus, legibus fundamentalibus, regiminis ordine, eadem anima ſcil. imperio, quo fundatum.

Quam-

Quamobrem de Capua tradit Livius, ut diximus, corpus nullum civitatis reliquum fuiſſe, cum placuiſſet Romanis, ne Senatus, plebisve conſilium, neve magiſtratus eſſet, ſed ſine publico concilio ſine imperio multitudinem fuiſſe. Ita ut nulla reip. Capuæ relicta imago. Quamdiu eodem modo coagulatum, ut ita dicam, manet, quemadmodum initio coaluit, idem eſſe non deſinit, & proinde eandem vim & facultatem retinet, quæ ex ejuſmodi coalitione toti infuſa corpori inſeparabiliter, illa vis eſt imperium illud, quod immediate ex partium coalitione accedit corpori & proinde radicaliter in populo ſive cœtu iſto tanquam in corpore ineſt, a quo nequit divelli, neque ea lege tranſire in principem, ut eo mortuo ſimul interiret, quod jam ſup. notavimus. Itaque eo ipſo, quo coire in ſocietatem cæperunt mortales & cœtus cele-

celebrarunt, ut inquit Cicero, etiam inter ſe convenerunt ut in unum vel plures hoc imperium ſive potius ejus exercitium, quod exerceri vix poſſet, & proinde aliquam utilitatem ſecuritatemque præſtare corpori, a multitudine, conferrent, quod tanquam vinculum omnes partes ſibi invicem quam arctiſſime devinciret & conglutinaret, quaſi unum eſſet corpus. Quippe quamvis imperium erat radicaliter jam in corpore, illud tamen non poſſet ejusmodi unitatem, & ut ita dicam, conglutinationem producere, niſi in unum vel plures translatum ejus exercitium, quid enim funis per ſe ad ligandum præſtaret, niſi illud in nodum contraheretur ab alio. Quamobrem ut imperium omnes ſocietatis partes in unum corpus coaleſcere cogeret, neceſſe erat, ut ejus moderatio & exercitium alicui e ſocietate demandaretur. Nullus itaque cœtus,

tus, nulla civitas ſine hoc vinculo, nec ullum imperium ſine ſocietate, propter neceſſariam illam inter ſe relationem. Quippe cum una ſit origo & cauſa alterius ſine qua non, ita ſibi tam arcte cohærent, ut nequeant ulla ratione ſeparari, imo ne concipi quidem poſſent ſine ejusmodi relatione. Quamobrem recte argumentatur Grot. d. l. ſi populus Romanus idem qui olim fuit, ergo & imperium penes eum manſit, tanquam penes corpus in quo eſſet ac viveret, ſi idem penes eum imperium, ergo quæ olim jure & vi hujus imperii, quod immediate deſcendit ex conſociatione & coalitione in unum corpus, & proinde radicaliter in corpore ineſt, potuit facere populus Romanus antequam imperatores regnarent, idem faciendi jus habuit, ut quisque imperator mortuus erat, alio nondum exiſtente, conjungitur enim ipſa con-
ſocia-

ſociatione exercitium imperii cum facultate illud conferendi in alterum, ita tamen ut a ſe invicem disjungi poſſint. Mortuo igitur imperatore vel potuêre unum ſummæ rerum præficere, vel plures, vel ſibi retinere exercitium imperii jure, licet de facto vi coactus aliquando commodis ſuis populus renunciare, ſi non expreſſe ſaltem tacite. Niſi in prima electione ordo ſuccedendi certus conſtitutus, quod nec principio conditæ Romæ factum, nec etiam ſub imperatoribus obtinuiſſe legimus, hinc non jure ſanguinis ſed humano arbitrio ſæpius delatum, electio enim videtur jure ad populum pertinuiſſe. Sic quemadmodum populus Romulum regem juſſiſſet, ita & eo mortuo eandem ſibi vindicarunt poteſtatem. Atque Numam Pompilium cujus inclyta juſtitia pietasque ea erat tempeſtate ad hoc dignitatis pro-

provexit faſtigium. Eaque facultas ipſi integra manſit etiam ſub conſulibus, juxta legem reipub. fundamentalem, qua populo Romulus conceſſerat jus magiſtratus creandi. Sic deſtituit populus Romanus regem Tarquinium Superbum, formamque imperii mutavit, dum ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine vel mora corrumperetur, conſulesque appellavit pro regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent Flor. *l.* 1. *c.* 9. Hinc curiata comitia magiſtratibus creandis inſtituta a Romulo, ac poſt ea claſſes a Servio rege inſtitutæ, unde duo cœperunt eſſe comitiorum genera curiata & centuriata. Atque hiſce duobus tantum generibus uſus eſt populus Romanus usque ad judicium Coriolani anno Urbis 263, quo primum anno cœperunt tributa comitia. Hiſce comitiis populi juſſu crea-

ban-

bantur magistratus. Quamobrem Cic. 2. *in Rull. Ita cum majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit.* Comitia centuriata indicendi tres causæ fuere teste Dionysio. *Magistratuum creatio, legum latio, & judiciorum exercitatio.* Hisce creabantur omnes magistratus majores, *consules, prætores, censores, duo consules comitiis centuriatis a præfecto urbis ex commentariis Servii Tullii creati sunt, L. Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus.* Liv. *lib.* 1. *fin.* Prætores illis comitiis creatos testatur Gellius *lib.* 13. *cap.* 14. Iisdem enim auspiciis quibus consul creabatur, id est iisdem comitiis. De censoribus idem testatur *cit. loc.* cum inquit, *patriciorum auspicia in duas divisa sunt potestates. Maxima sunt consulum,*

præ-

prætorum, censorum &c. Quemadmodum igitur magistratuum creatio ad populum pertinuit & sub regibus & consulibus, ita quoque mutata iterum reipubl. forma & uni summa rerum permissa, electio quoque imperatoris penes populum mansit, quamobrem aliquoties a populo aut per se aut per senatum facta. Quid æquitati magis consentaneum, quam ut illud quod radicaliter in populo fundatum, ejus exercitium ab eodem demandatur alii: quod enim meum est in alium nequit transferri sine consensu & voluntate transferentis, atqui imperium naturaliter est populi, ergo sequitur illud nemo sibi propria posse autoritate vindicare, nisi in se translatum ex populi libera voluntate. Quemadmodum autem a voluntate & arbitrio transferentis dependet imperii delatio, ita etiam & transferendi

di modus, qui vel initio adjicitur & exprimitur, vel poftea tacite introducitur. Poteft enim imperium eo transferri modo, ut illo, cui primo imperium delatum, mortuo, ad ejus defcendat fucceffores, vel ut populus alium eligat in demortui locum, qualem facultatem populus fibi expreffe fervare non habet neceffum, quoniam ipfo jure ea refervata videtur populo, quoties imperium fimpliciter delatum, nulla facta mentione devolutionis, aut fucceffionis five linealis agnaticæ five cognaticæ, propterea quod hoc cafu naturaliter revertitur ad populum in quo in eft radicaliter, & ut ita dicam fundamentaliter imperium. Dabat itaque vel ipfe populus vel Senatus ejus vice

Imperium, fafces, legiones, omnia.

Hæc jura femel populo quæfita eripi ei invito nequeunt, quamobrem quæ

quæ populus ſub regibus facere potuit, eadem & faciendi jus retinuit iis exactis, quamdiu duravit eadem conſociatio, eadem corporis fabrica, idem imperium corpori cohærens, & proinde etiam ſub imperatoribus quamvis non eadem forma regiminis, idem tamen reip. corpus fuit, cui eædem affectiones, eadem jura intacta & integra manſere. Quamobrem imperatores populum aliquando per ſe, aliquando per Senatum juxta reipub. leges fundamentales elegiſſe conſtat ex Dione, Spartiano, Capitolino aliiſque rerum Romanarum ſcriptoribus. Quamvis autem populus hæc jura propter vim majorem de facto exercere non potuerit, quamdiu tamen reſpub. fundata ſuis legibus, ſuo imperio conſociata ſubſiſtebat, penes populum eadem poteſtas, idem imperium reſidebat, ſi non virtualiter, ut ita dicam in actu & exercitio, radicaliter tamen

tamen erat in illo tanquam subjecto suo, cum omnibus commodis, quæ summo imperio cohærent naturaliter. Quippe non eo dissolvebatur corpus, manente inter cives ejusdem imperii & juris communitate & consociatione, quia majori vi cedere necessum habebat, quod pro tempore suspenditur, non in perpetuum amittitur; multa fecit Cæsar quæ jure facere non potuit, utpote qui populi jura maxime imminuit, & Senatus potestatem admodum decoxit, ita ut vix aliqua species reipub. veteris superesse videretur. Suet. *in Jul. Cæs. c.77.* Attamen non potuit omnino suis commodis spoliare, & imperium, quod radicaliter in populo, sibi vindicare, ita ut illud jure successionis in alium transferre potuisset propria autoritate, quamobrem eo defuncto quasi jure postliminii multa recuperavit imperii jura & commoda, quæ quasi

quasi pro tempore mortua reviviscere cœperunt, depulsa vi. Sic imperium Romanorum & orbis quod vi & dolo occupaverat Cæsar teste Eutrop. *lib.* 7. in Augustum, & eo fatis functo in Tiberium translatum ut ex Suet. *in Tib. c.* 24. electione Senatus colligi posse videtur, dum inquit, nunc precantem Senatum & procumbentem ad genua Tiberii, eum orasse ut principatum acciperet. Quamobrem *dabat famæ*, ut inquit Tacitus, *ut vocatus electusque potius a rep. videretur, quam per uxorium ambitum & senili adoptione inrepsisse.* Sic & Nerva, ac deinde Tacitus lecti a Senatu. Valerianus etiam a Senatu lectus. De Nerva Dio, *post Domitianum, Nervam Coccejum Romani*, quasi universum populum significare vellet, *renunciarunt imperatorem.*

De Tacito Vopiscus tradit *Exercitum qui creare* (sive ut ego puto

defpicere folebat a Senatu confirmandum) *Imperatorem raptim folebat, ad Senatum literas mifit, petens ut ex fuo ordine principem legerent. Verum Senatus fciens lectos a fe principes militibus non placere rem ad milites detulit.* Sed notanda quæ Velius Cornificius Gordianus in Senatu verba habuit, *Referimus*, inquit, *ad vos P.C. quod fæpe retulimus. Imperator eft diligendus: Exercitus fine principe recte diutius ftare non poteft, fimul quia neceffitas cogit &c. Quare agite P.C. & principem dicite:* Hinc omnis Senatus acclamavit *Tacite Augufte, dii te fervent. Te deligimus, te principem facimus, tibi curam reipub. orbisque mandamus. Sufcipe imperium ex Senatus auctoritate.* Sic & apud Capitolinum acclamatum eft in Senatu, Maxime & Balbine Augufti, dii vos fervent, hinc imperatores ut pri-

mum

mum creati, nihil prius habuere, quam ut primo in Senatum, deinde in castra se conferrent, ut illic quidem patribus, hic vero militibus, quod imperio suo consensissent gratum animi exhiberent testimonium. Atque cum Tacitus refert Augustum *nomine principis sub imperium accepisse*, quid aliud ex hisce verbis colligere possumus, quam oblatum a Senatu vel populo Romano ipsi imperium accepisse, ne illud usurpasse atque propria autoritate sibi vindicasse videretur, ad civium animos deliniendos, atque sibi populi favorem & benevolentiam conciliandam. Quem & *Patris patriæ* ipsi cognomen repentino maximo consensu detulisse quoque tradit Suet. *in Aug. c.* 58. hisce verbis. *Quod bonum, faustumque sit tibi domique tuæ, Cæsar Auguste: (sic enim nos perpetuam felicitatem reipub. & læta huic precari existimamus,*

Senatus te consentiens cum populo Romano consalutat PATRIÆ PATREM. Cui lachrymans respondit Cæsar *Compos votorum meorum factus P.C. Quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat.* Indicium quod nondum enervata autoritas Senatus nec potestas populo erepta saltem species ei reliqua mansisse videtur. Nedum omnino sublata, quod manifeste apparuit, cæso Caligula, quippe tradit in ejus vita Suet. *cap.* 60. *Senatum in asserenda libertate adeo consensisse. ut coss.* primo non in Curiam, quia Julia vocabatur, sed in Capitolium convocarent. Quidam vero sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam ac diruenda templa censuerunt, ex quibus perspicimus adhuc integrum reipub. corpus, imperium nisi actu in Cæsarem exi-
gente

gente necessitate translatum, in populo sive corpore reipubl. radicaliter fundatum, quamobrem & de imperii mutanda forma deliberare Senatus ausus fuit, quod ad se reversum erat. Et notandum quod cum Valentianum milites in Italia patre mortuo Imperatorem dixissent, eum nuncium Gratianum & Valentem indigne tulisse, quod præter sententiam eorum, a quibus renunciari debuerat, renunciatus erat. Uterque tamen in ejus imperium consenserat. Socr. *lib*. 4. *cap*. 3. Sic & Majoranus, *Imperator factus tum P. C. vestris militumque suffragiis*. Sic & Pertinacem ex senatusconsulto imperasse tradit Eutrop. *l*. 8. Aliquando etiam a legionibus facti imperatores, sic a militibus in Septimium Severum translatum imperium teste Ælio Spartiano. Sed dicendum videtur populum ejusmodi electionem ratam ha-

buisse vel tacite vel expresse, ut rei-publ. majus imminens ex dissensione malum ac damnum evitaretur hac ratione. Cum præstat qualecunque imperium in rep. obtinere, quam nullum: sapientis & prudentis est temporibus inservire, & cedere necessitati, ne forte per intestina bella & inter principem ac populum certamina & dissensiones respub. in partes distracta concidat & totum hac ratione corpus dissoluto omnis imperii vinculo intereat. Poterant enim hæc pati salva repub. quamvis non salva ejus forma, quæ sine imperio sine capite diu non potuisset consistere. Interiora adhuc corporis ligamentis integris, quamvis exterior forma mutata, posset videri fecisse populus vel Senatus, quod ejus quasi nomine miles fecerat, propter tacitam subsecutam ratihabitionem. Consentire enim videtur, qui non contradicit,
cum

cum improbandi facultatem habeat. Senatum ſuam autoritatem interponere ſolitum fuiſſe vel Eutropius indicare videtur *lib.* 9. cum tanquam inuſitatum quid de Maximino imperatore notat, *eum ex corpore militari primum ad imperium acceſſiſſe, cum Senatus nulla autoritas interceſſiſſet, neque ipſe ſenator eſſet.* Victor tamen ſcribit legionum ſuffragia a patribus approbata. Majus ſane damnum potuiſſet inferri reipub. de jure deferendi imperii inter patres vel populum & militum legiones per vim certatio, quam imperii jam a legionibus tranſlati approbatio ſeu ratihabitio. Differendum hoc certamen in futurum, cum magis opportuna ſeſe offerret juris, quod ſibi quæſitum, exercendi occaſio, quam cum reip. detrimento obſtinate tuendum potius Senatus populusque rebatur. Modo ipſum

corpus reipub. poſſet integrum ſervari, cujus ſtructuram atque fabricam quamvis labefactari quodammodo hac ratione videretur, attamen manebat ejus ſpecies & forma ſalva. Quod differtur non aufertur. Ratam electionem habuiſſe dicendus populus vel Senatus nomine populi, quoties imperatorem ea qua oportet veneratione proſequebantur cives, eique debitam reverentiam & obedientiam præſtabant, ejus exſequebantur juſſa, edicta obſervabant, legibus obtemperabant. Præſtabat aliquam habere rempub. quam nullam ſublato parendi & imperandi ordine. Præterquam quod cum ſervire neceſſum, non multum intererat cui ſervirent. Nec ſervivitus vel libertas corpori aliam formam induit, agendi quidem libertatem imminuit, ſed non diſſolvit ſocietatem. Servus enim naturaliter non deſinit eſſe homo, licet

cet libertatem amiſerit. Non tollit juris & imperii conſociationem ac communicationem morale illud vinculum, quo cohæret populus, extrinſeca formæ mutatio ſive modus transferendi; donec itaque hic populi cœtus ſub Romulo coaliti, hęc civitas ab eodem ordinata & fundata ſuis legibus eodem imperio & jure, id eſt ſuo & proprio, tanquam ſeparata ſocietas, & etiam diſtincta appellatione ab aliis nationibus & gentibus finitimis, uſa fuerit, recte a primo conditore Romulo Romana, & Romanum dictum imperium, quod immediate ab eadem profluit, & translatum in Romulum a populo. Atque merito eadem civitas dicitur, multis ante ſeculis ſub Romulo nata, quæ fuit, poſtquam a parvis hiſce initiis (quippe qui una cum illo urbem condere cœperunt non plures fuiſſe quam ter mille pedites & pauciores trecentis e-

quites tradit Dionyf.)ad illam magnitudinem creverit, ut quemque in fui admirationem raperet. Quamobrem Mantuan. *lib.* 2. *Sylv.*

Suis & ipfa Roma viribus ruit.
ad quam pervenire non potuit nec fine mutatione nec acceffione partium, manente tamen eadem fpecie, id eft communitate juris & imperii, in qua confiftit vitæ civilis confociatio plena atque perfecta, utpote quæ focietatis civilis vinculum eft arctiffimum. Si qua jura & commoda populi inverfa atque ufurpata a legionibus, a principe, nulla tamen Romana civitas inde paffa fuit mutationem, manfit idem populus, eadem confociatio, ergo & eadem civitas caput terrarum orbis & princeps urbium, imperii totius univerfi fedes Roma. Neque cum his pugnat, ut optime Grotius inquit, quod Antonini conftitutione, quotquot in orbe Romano,

id

id eſt provinciis & ditionibus imperio Rom. adjectis, ſunt, cives Romani effecti ſunt, conſecuti enim hac conſtitutione ſunt ſubditi Romani imperii ea jura, quæ olim habebant coloniæ & municipia & provinciæ togatæ, ut & bonorum eſſent participes & jure Quiritium uterentur: non ut in aliis populis, itidem ut in populo urbis Romæ fons imperii eſſet. Quod non eo ſenſu intelligendum quaſi urbs ipſa eſſet ſubjectum & proprium imperii corpus, ut & ſupra dicere incepimus; verum quatenus illa hominum multitudo, quæ in unam eandemque ſocietatem coaluit,& in hac urbe ſedes ſuas ponere voluit, unde leges & juſſa dimanarant ad omnes terrarum fere plagas, qua patebat imperium, quaſi ſua ab origine & fonte, vocata caput mundi, domicilium imperii

Armorum legumque parens quæ
fudit in omnes
Imperium.

Epi-

Epictetus in dialogo cum Hadriano: *Quid eft Roma? fons imperii orbis terrarum, mater gentium, rei poffeffor.* Et Ammianus *lib.* 16. *Imperii virtutumque omnium larem vocat.* Herod. *lib.* 2. *Romam ubi domicilium regni eft.* Et apud eundem, *In ea urbe imperii fortuna conftituta eft.* Urbs itaque ut diximus qua ædificiis & muris conftat non imperii fedes ac fons, fed quatenus eam inhabitat illa multitudo in unum corpus contracta & confociata & fundata iis legibus, quibus in unum corpus optime coalituram arbitrabatur princeps. Potuiffet enim populus hanc fedem & urbem deferere & alio migrare, fuumque nomen eidem loco imponere, in quo lares ac penates fuo conftituerat, atque ibi quoque imperii fedem collocare, quod cum populo tanquam fuo fubjecto ubique circumfertur, quemadmodum cum

cor-

corpore anima. Quod imperator a populo disjunctus nequit efficere, quia tum nihil aliud eſt quam umbra, quæ evaneſcit ſublato corpore. Quamvis imperium perſonæ principis active inhæret, attamen ſuam habet relationem ad corpus, in quo eſt radicaliter, id eſt ad populum, a quo dimanavit tanquam ex ſuo fonte in principem, cui illud acceptum ferre debet. Imo principis appellatio quæ generalis eſt, ad omnes pertinet, qui alicui ſocietati præſunt, nihil aliud ſignificat, quam primum & præcipuum ordinis, quippe cum omnes homines ſibi æquales ſtatu, conditione & dignitate, ita ut alter alteri cedere neceſſum non habeat quaſi digniori, principem ſive primum vocarunt in ſocietatem coaleſcentes, quem ei præfecerant ac ſummo imperio, id eſt principatu ornarant, cui cedere cæteri, obtemperare, reverentiam & honorem

exhibere tenerentur, licet ejusdem corporis quoque membrum, ſed principale factum cæterorum conſenſu, id eſt caput corporis, cum eo adeo unitum atque neceſſariam relationem habens, ut idem eſſe deſinat avulſum a corpore. Quippe primum eſſe & principatum obtinere ſupponit cœtum vel aliquam hominum multitudinem ex pluribus capitibus conſtantem atque compoſitam, cujus intuitu primus vel princeps dici quis poteſt: quippe ubi quis ſolus primus eſſe nequit. Quemadmodum itaque cum plurali numero cohæret quam arctiſſime hæc dignitas, ut ſine eo nequeat exiſtere: ſic etiam principatus & imperium cum corpore ſive ſocietate civili, cui princeps præeſt, atque tam arcta principi cum civibus in unum corpus coalitis intercedit relatio, ut princeps dici nequiret ſocietate ſive corpore ſublato. Prin-

ceps quia dignitate & imperio primus cœtus, cujus eſt ipſe pars ſed præcipua, verum quia fundatur neceſſaria in illa relatione, ergo non exiſtente corpore cui præeſt, evaneſcit & ipſe principatus. Quemadmodum enim caput a corpore ſeparari nequit ſalvo toto, ita nec imperium cum principe ad alium poteſt transferri privative, ut ita dicam, & tanquam ad cauſam principalem ſalvo corpore, unde dimanavit. Præterquam quod transferendo imperium hoc modo nihil videtur egiſſe princeps, ſed redit ad proprietarium, id eſt populum; illam enim relationem nequit tollere princeps, quia eſt naturalis, ubi princeps ibi quidem imperium, quia corporis, id eſt populi vicem gerit, a quo illud accepit, verum quia ejusmodi repræſentatio conſiſtit in illa relatione, quæ principi intercedit cum corpore quod exiſtit, eatenus quo-

quodammodo est separatum a principe, quatenus subjectum commune imperii, ille proprium ratione exercitii, & proinde quatenus exercendi imperii modus relationem habet cum subjecto, a quo delatum, ut certo modo tractaretur, princeps tenetur agnoscere populum, a quo tanquam suo fonte in se vel per electionem, vel successionem, quæ a prima electione initium quoque habuit. Quamobrem populus qui sibi elegit principem, ea mente id fecisse præsumitur, ut maneat unitum cum corpore, vel ab eo divortium faciens cadat imperio princeps, sive potius ejus exercitio & moderatione ipso actu privatur, pervenit iterum ad populum. Cum enim divelli aut separari nequeat a corpore, ergo nec a principe vindicari tanquam aliquid proprium, ita ut ipsi esset illud transferendi in quem vellet facultas invito populo

lo. Quamobrem recte Grotius ſtatuit, nihil quicquam de jure populi Romani imminutum eo, quod imperatores poſtea Conſtantinopoli quam Romæ habitare maluerunt, perſonalis illa mutatio nihil detraxit prærogativæ, quæ populo Romano tanquam fonti imperii acquiſita erat, manebat eadem eſſentialis forma reip. eadem imperandi ratio obſervabatur. Et ſi quid de facto populi jura violarunt ac uſurparunt, ac Senatus in ſe traxerunt munia, ut Tiberium feciſſe teſtatur Tacitus, eo non imminutum jus populi ei qua populo conceſſum vel jure naturæ, vel poſitivo & legibus regni fundamentalibus, quæ in omni reipub. forma & imperii accidentali mutatione vim ſuam obtinent, quia hæc ſunt interiora, ut diximus, ligamenta & vincula, quibus omnes partes in unum colliguntur ac coaleſcunt, ſed vi cohibitum,

ne

ne eo uti potuerit. Et proinde nec thesin nostram impugnat usurpatio ab imperatoribus facta neque etiam usurpatio dici potest ejusdem juris & imperii consociationem sustulisse. Præterquam quod nobis sermo de eo quid jure fieri debuit, non quid illegitima usurpatione & vi ac metu extortum, vel ademptum populo, sed & postquam imperatores Constantinopoli quam Romæ habitare maluerunt integrum tamen populo Romano eligendi jus reservatum statuit summus Grotius, ac proinde electionem factam a parte sui, quæ Constantinopoli habitabat (ut Bysantinos Quirites vocat Claudianus) ratam totus populus habuit: jurisque sui monumentum non tenue servavit in urbis suæ prærogativa, & in honore consulatus aliisque rebus. Quare jus omne, inquit, quod hi qui Constantinopoli habitabant ad eligen-
dum

dum Imperatorem Romanum habere poterant, pendebat a voluntate populi Romani: nam ut teſtatur Zonaras *Romæ veteri ob ætatis prærogativam & imperium huc translatum, principatus relictus.* Hinc non duo imperia ſed unum tantum ſcil. Romanum imperium quod diviſum inter filios Conſtantini M. unde & quæ in Oriente conſtantio obvenerant, Romanæ eſſe ditionis, nuncupabantur. Quamobrem ſemper honoris dignitatis prærogativa imperio Romano reſervata. Ita ut etiam Anno Domini 383. Conſtantinopoli habitum ſit concilium ſecundum univerſale 180. coactis patribus, in quo, inter cetera, regula lata eſt, ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus haberet honoris privilegia poſt Pontificem Romanum, eo quo ſit nova Roma Byzantium. Iſidor. *tom.* 1. *concilior.* Quamobrem & in *lib.* 1.

Juris

Juris Orientalis penult. constitut. quæ Michaeli Palæologi est sancitum, ut liceret cuivis Romam veterem quæ curia major & perfectior esset appellare, deinde, ut illi principatus in omnibus deferretur. Nec usquam in nummis, quod sciam, expressus titulus Imp. Orient. quasi diversum esset imperium & separatum ab Occidentali, sed communi vel Cæsaris vel Imperatoris, vel Augusti cognomine, cum Orientis tum Occidentis Imperat. appellati, imo & in plerisque nummis Constantinop. cusis *Gloria Romanorum*, & utrumque imperium Romanum sive Orientis sive Occidentis partem spectaret, dictum. Inficiari tamen non possum propter varii imperii Romani fata, quibus sub diversis imperatoribus fuit obnoxium, populi senatusque majestatem dignitatemque magis vel minus aliquando conspici potuisse,

&

& ut ſolet contingere in omni regiminis mutatione ſemper in quantum poſſit fieri abolere qui reip.præſentem ſtatum impoſuerunt, conantur priorem, ne ullum ejus exiſtat veſtigium, quia autem omnis ſubita mutatio periculoſa, paulatim ei aſſuefacere populum prudentis & ſapientis rectoris eſt. Sic etiam imperatores Romani exoſam habentes veterem reipub. formam, utpote quæ repugnabat imperio Regio, ſive Monarchico, cujus non conſtat ratio, niſi uni reddatur, cum Senatus tum etiam populi jura ac munia in ſe trahere conati fuêre, ut omnia a ſuo nutu penderent. Quo factum etiam, cum rari boni imperatores fuerint, ut imperii majeſtas ac dignitas paulatim imminuta & contaminata eorum vitiis. Et ut ait Livius, labente paulatim diſciplina tandem totum imperium concidit atque extinctum. *Romana e-*

nim

nim civitas Dioclet. & Maximian. nimia rerum omnia prosperitate cæcata usque adeo luxuria diffluebat, ut cum se in omnia deliciarum genera intemperanter effunderet, ipsa de felicitate sua prope triumphare videretur. Sig. Hist. *de occid. imp. lib.* 1. Et paulo post *non defuerunt ex nobilibus, qui continuandis agris, & jungendis possessionibus servientes, nihil aliud contenderunt, quam ut patrimonium suum immensum augerent, obliti veteres Romanos, quorum virtute ipsa ad hanc amplitudinem pervenissent, nihil ominus, quam de privatis colligendis opibus laborasse, immo vero insigni se paupertate admirandos omnibus mortalibus præbuisse. Cantores autem & scenicos artifices in tanto precio habuerunt, ut ejusmodi acromata atque ocii liberalis oblectamenta pluris quam doctos*

aut

aut disertos homines facerent; mensas vero vulgo sic instruebant ut exquisitissimis dapibus conquirendis & conviviis intempestivis celebrandis insana perpotandi, pervigilandique libidine dies noctesque consumerent. Ex plebe autem alii in tabernis, vinariis pernoctabant, nonnullis velabris umbraculorum theatralium se abdebant, quidam aleis pugnaciter contendebant, omnes ferme totos dies in theatris, in Circis ludis, muneribusque dediti traducebant, ocium ipsum imperatorum solertia comparatum ad voluptatum non ad virtutum incitamentum habentes. Atqui siquidem mores, pergit, *licet posteriores aliquot imperatore emendare conati sint, tamen indies corruptiores, deterioresque effecti sunt, quo usque tota Italia ocio marcescente, ac diuturno prope languore torpente barbari im-*

imperium ex omni parte debile invaserunt, ac sævissime distraxerunt. Est enim, ut diximus, & rerumpub. durationi æque terminus, atque singulorum hominum ætati præscriptus. Sed inquirendum nobis restat quo tempore Romanum imperium, extincto corpore evanuerit, ita ut nulla veteris reip. species reliqua, non solum penitus atque in universum sublata regiminis forma accidentali, sed imperii majestate & dignitate populo & senatui adempta, interioribus corporis vinculis dissolutis, sublatis legibus fundamentalibus, ita ut nec Senaplebis consilium, nec magistratus, tus, nec umbra reipubl. Quamvis imperium Romanum sub primis Cæsaribus & quidem Julio & Augusto Cæsare imperii habenas moderante, maxime floruisse videatur, quippe inertia Cæsarum, qui Augustum exceperunt, quasi consenescere

nescere cœpisse robustam ejus maturitatem, inquit Florus *lib.*1.*cap.*1. nisi quod sub Trajano principe optimo pristinos moverit lacertos; attamen cum minus vel magis non varient speciem, ut dici solet, ita nec imperii magis vel minus prospera aut adversa ejus statum mutant vel evertunt fabricam & constitutionem. Quę extrinsece adveniunt, non statim mutant ea, quæ sunt intrinseca & interiorem partium, ex quibus totum compositum, inter se dispositionem, & ut ita dicam, connexionem dissolvunt. Sic etiam quamvis respub. Romana variis jactata fuerit fortunæ cladibus, multaque ei prospera vel adversa evenerint, ita ut aliquando jamjam intermoritura videretur, maximisq; mutationibus concussa, attamen interioribus nondum dilaceratis visceribus & dissolutis vinculis, quibus quam arctissime omnes corporis partes

fibi invicem devinxerat Romulus, integra manfit. Imo & quandoque revivifcere ac quafi refpirare cœpit, cum ruinæ videretur propior. Quod maxime pendebat ab Imperatorum vel virtutibus vel vitiis, tum etiam bellorum fucceffu & eventu, quo imperium brevi vel propagari vel imminui poterat, avulfis a corpore jure belli plurimis regionibus vel provinciis, aut eodem jure adjectis integris populis & nationibus, falvo tamen capite rerum & omnis mutationis experte imperii fonte Romano populo, & urbe Roma, in qua principatus fortunæ fitus erat. Quam fæpiffime feditionibus inter patres & plebem concuffa, fed non diftracta tamen adeo, quin interior fabrica confifteret, etiamfi ad tuendum reipub. corpus atque in tuto collocandum adverfum imminentes tempeftates, quæ ruinam ac interitum

ſtum ejus portendere videbantur, mutando regiminis formam uni parere neceſſum habuerit. Cujus fundamenta jecit Cæſar, ac deinceps ejusdem imperii tractandi continuatio a populo approbata, imo & introducta ejusdem forma dici poteſt,cum ad idem majeſtatis & dignitatis faſtigium Auguſtus, Tiberius, Caligula, Claudius Nero provehi non recuſarint, & vel per electionem, vel ſaltem quod ab eadem non differt continuationem Senatus ſumma rerum potiti, quotquot ſtante republ. Romana, Auguſti appellati. Merito autem Romanum dictum imperium, quamdiu in eodem conſiſtebat corpore, tanquam ſuo ſubjecto, in quo eſſe ac vivere potuit. Sub Auguſti vero imperio, ut dicere incepimus, maxime floruit, ſed poſt aliquot annorum decurſum, inertia ſequentium Cæſarum decreſcere videba-

tur, donec sub Trajano Principe omnibus heroicis virtutibus & singularibus animi dotibus florentissimo, adeo ut merito amor & deliciæ humani generis dici potuerit, pristinum decus & splendorem, atque libertatem, ab aliis Imperatobus imminutam & suppressam quasi jure postliminii recuperaverit. *Contigit*, inquit Plinius, *privatis aperire annum fastosque reserare: & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod consul alius esset quam Cæsar*, *Panegyr. c.* 58. Sub hujus Principis auspiciis teste Eutropio, *Romani imperii*, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, fines longe lateque diffusi. Quos Trajanum excipiens Hadrianus coarctavit & contraxit Euphratem finem esse imperii volens. Quemadmodum & ejus successor T. Antoninus cognominatus Pius defendere

dere magis provincias, quam amplificare ſtudebat. Poſt hunc imperavit M. Antoninus Verus & cum eo L. Annius Verus, quamobrem poſſet videri mutata reſpub. duobus Auguſtis æquo jure imperium adminiſtrantibus parens. Verum diviſum dici nequit cujus partes unitæ manent; non dividebatur imperium, quod communicatis conſiliis & ſumma animorum concordia & unanimi conſenſu pro indiviſo tractabant Auguſti. Poſtea & tres Auguſti rempubl, adminiſtrarunt integro manente corpore, Pupienus, Balbinus & Gordianus. Quorum duobus prioribus interfectis ſoli Gordiano reſervatum imperium. Verum ad Gallienum imperio devoluto multis maximisque cladibus affecta reſpub. *ita ut pene deletum videretur imperium tot provinciis devaſtatis & expugnatis, quippe in omnem laſciviam*

diſſolutus, tenendæ reipub. habenas probroſa ignavia & deſperatione relaxavit, inquit Eutrop.*lib.* 9. *Et rem Romanam quaſi naufragio dediſſe* ait Aurel. Vict. Salva tamen capite rerum Roma, imperium ſalvum quoque, licet non tam amplum neque late patens quam ſub primis Cæſaribus fuerat. Sunt enim humana variis mutationibus obnoxia, & proinde imperia ac civitates ſuas habent periodos divinitus conſtitutas. Aurelianus vero imperium ſuſcipiens, Romanam ditionem ad fines priſtinos varia bellorum felicitate revocavit. Tacitus poſt hunc imperium ſuſcepit vir egregie moratus. Huic ſucceſſit Florianus, quem imperium ſine Senatus autoritate, nec militum electione, ſed ſuo motu arrepſiſſe teſtatur Aur. Eutrop. quamvis tradat Zonaras *annal. T*. 2. Tacito ſublato duos eodem tempore declaratos eſſe, Augg.

Probum

Probum in Oriente a militibus, Romæ a Senatu Florianum, ac utrumque imperaſſe. Potuit enim ratum habuiſſe Senatus factum imperatoris, idque confirmaſſe. Quod veroſimile: & ſi inſcriptionibus habenda fides, videntur uterque electi a militibus; occurrunt enim nummi, in quibus duo milites ſibi invicem dextras porrigunt, cum hac inſcriptione *concordia milit.* In aliis *fides milit.* Atque hanc electionem etiam confirmare videntur ea quæ apud Vopiſcum legimus in *Probo*, cum inquit. *Recepit deinde omnes Europenſes exercitus, qui Florianum & imperatorem fecerunt & occiderunt.*





Uno

Uno eodemque tempore duos circiter menſes Florianum & Probum imperaſſe affirmat Pagus *diſſert. de conſul. Cæſar.* Atque hiſce imperantibus videtur Romanum imperium in Orientale & Occidentale diviſum, Probus quippe in Ægypto & Syria, Phœnicia & Palæſtina: Florianus a Cilicia usque ad Italiam & Occidentem imperavit, teſte Zonara *d. l.* Mox Maximiani & Conſtantinus atque Galerius rerum Romanarum potiti, provincias inter ſe partiti ſunt. Tandem vero Conſtantinus ad reipub. adminiſtrationem Auguſtus creatus, inquit Eutrop. *lib.* 10. Qui ſedem quidem ſuam & domicilium Conſtantinopolim transportavit, ipſum tamen imperium, ſalvo Romano populo, in quo tanquam corpore ſuo, a quo divelli non poterat, niſi cum interitu totius, radicaliter erat fundatum, mutatum & in Græciam trans-

translatum perperam dicitur, quatenus cum corpore, in quo esse & vivere debet, necessariam habet relationem & connexionem. Quippe quamvis eo mortuo ad tres orbis Romani dominatio redacta sit, hi singulas partes regendas non tanquam separatas & distinctas a corpore, sed ejusdem membra & partes sibi invicem unitas acceperunt, capite rerum salvo, salvis legibus, salva imperii & juris communitate in Romano orbe. Quamobrem brevi rebus in solum Constantium translatis, totum iterum in unum coaluit imperium. Qua de causa non tam imperii Romani distractio fuit, cujus partes quisque e Constantini liberis tanquam proprium patrimonium & quasi paternam hereditatem testamento delatam sibi posset vindicare & in proprium usum convertere, atque ad suos heredes transmittere, sed tantum assignationes

regionum & provinciarum, quas administrandas & gubernandas quisque eorum ſuſcipiebat, quemadmodum parens eas inter liberos partitus fuerat. Quippe cum imperium Romanum non eſſet hereditarium, ſed electione transferebatur, neque ultima voluntate neque donatione inter vivos poterat tranſire vel in totum vel pro parte ad alium principem quam eum, quem populo, vel Senatui, vel etiam militibus, qui jus illud aliquando vi ſibi vindicarunt, eligere placuiſſet. Quamobrem imperium Romanum cum Occidentale, tum Orientale, non diſtractum & divulſum jure hereditario nec ſecundum ſanguinis propinquitatem devolutum ad ſeros Conſtantini vel Theodoſii etiam nepotes eorumque deſcendentes, ſanguine ſibi proximos, ſed interjecto aliquo tempore iterum a militibus, cui vellent delatum, idque quoties ipſis diſpli-

plicebat ſucceſſor, vel in conſortium imperii aſſumptus vivente imperatore, vel Cæſar factus atque deſignatus imperii candidatus. Quamobrem vel ipſe populus vel Senatus, vel milites hanc uſurpantes poteſtatem, imperii faſces vel ipſi deferebant, vel ſaltem tacite aut expreſſe approbabant electionem vel deſignationem factam ab anteceſſore. Itaque non ſuccedebatur jure ſanguinis, nec ex teſtamento vel diſpoſitione viventis imperatoris, ſed ut diximus, populus vel Senatus, & plerumque etiam milites imperium faſcesque dabant. Sic poſt imperii diviſionem ſive potius aſſignationem regionum ac provinciarum quæ parebant imperio Romano inter filios factam primum a Conſtantino, deinde Theodoſio imperatore, cui acquieviſſe dicendum Senatum, militemque, poſtea iterum ſibi milites vindicarunt eligen-

di imperatoris facultatem, propterea, ut verofimile eft, ne jure hereditario transferendi mos invaluiffe videretur per tacitum confenfum vel Senatus vel militis, eaque per præfcriptionem vel confuetudinem acquifita imperatoribus cenferetur facultas. Hinc fæpius interrupta hæc poffeffio cum Senatus, tum populi aut militum interventu & per difpofitionem five electionem contrariam. Quamvis ex patris voluntate filii imperatoris cum Conftantini tum Theodofii fingulas fuas tenerent regiones & provincias, tanquam portiones fibi affignatas imperii Romani, fequentes tamen imperatores illud militum benevolentiæ acceptum ferre neceffum habebant. Quamobrem Jovianus ad obtinendum imperium confenfu exercitus electus eft, & quidem commendatione patris. Eodem modo Valentinianus I. & II. Impera-

peratores facti. Et postquam iterum, absque dubio approbante exercitu vel Senatu, Theodosius imperium Romanum quoad administrationem inter filios divisisset, atque utrique suas assignasset partes administrandas, paulo post intercessit iterum exercitus & consensu militum Avitus aliique plures Augusti facti. Imo adeo pertinaciter & obstinate hanc sibi facultatem usurpatam milites reservarunt, ut quandoque in gratiam Augusti sive imperatoris sui ne latum quidem unguem a jure suo recedere voluerint. Nec etiam populus vel Senatus, quamvis sæpius violatum & vi ademptum sibi jus eligendi imperatorem, ullam unquam prætermittebat occasionem, quotiens sibi data, jure hoc vetustissimo, utpote quod ab ipsis reip. incunabulis obtinuerant, utendi. Cujus nobis exemplar Maxentius, quem Romæ vulgus &

turmæ prætorianæ imperatorem confirmarunt, quamvis Galerius Maximinianus, a Diocletiano antea Cæſar creatus, Victor. Argumentum quod invito populo, Senatu vel exercitu imperatoria majeſtas & dominationis inſignia nemini deferri & proinde multominus imperium dividi ac in partes diſtractum, pluribus dari tanquam ſeparatum & proprium patrimonium, quod transfertur in heredes ſanguine proximos vel ab inteſtato vel teſtamento ſive ultima voluntate, aut donatione inter vivos, vel alia quacunque diſpoſitione alienationis vim habente vel proprietatem transferente poterat pro lubitu poſſeſſoris viventis. Hinc Maximus, imperator factus, ad exercitum omnem in planitiem quandam convocatum verba faciens, inter alia admonuit milites, ut fidem populo Senatuique ſervarent & imperatoribus,

Quos

Quos, inquit, *a nobilitate & rebus geſtis, longaque ſerie generis, quaſi per gradus quosdam provectos, pari judicio S. P. Q. R. elegerunt. Neque enim unius tantum hominis peculiaris poſſeſſio principatus eſt, ſed communis antiquitus totius populi Romani. Siquidem in illa urbe ſita eſt imperii fortuna, nobis autem diſpenſatio tantum atque adminiſtratio principatus una vobiſcum demandata eſt.* Herodian. *lib.* 8. & idem paulo ante, *Quibus ipſi acclamantes, etiam hortabantur exercitum ut agnoſcerent, ſalutarentque & lætis exciperent vocibus, quos S. P. Q. R. imperatores elegiſſet.* Quamobrem Metius Falconius Nicomachus vir conſularis in Senatu de Tacito imperatore faciendo interrogatus hæc verba ſententiæ ſuæ addidit. *Gratias igitur Diis immortalibus ago atque habeo,*
&

& quidem pro universa republ. te Tacite Auguste convenio, petens obsecrans, libere pro communis patriæ legibus deposcens, ne parvulos tuos, si te citius fata prævenerint, facias Romani imperii heredes! ne sic rempubl. patresque conscriptos populumque Romanum, ut villulam tuam, ut colonos tuos, ut servos relinquas. Vopisc. *in Tacit. Scias civium non servitutem tibi traditam esse, sed tutelam, nec rempub. tuam esse, sed te reip. de Clem.* Seneca. Et vitio vertitur Floriano, quod proprio motu imperium, quasi esset hereditarium, arripuisset. Non inficior imperatores suo arbitrio potuisse creare Cæsares vel liberos naturales, vel quos in suam adoptaverant familiam, vel etiam extraneos, & eo designare quos maxime optarent sibi successores. Verum eo nihil detractum juri, quod populo vel

Senatui

Senatui quæſitum & conceſſum cum fundata reſpub. niſi & ipſe Senatus vel populi conſenſu Cæſar dictus, quod aliquando factum ex veterum monumentis perſpici poſſe mihi videtur. Præſertim poſtquam mos introduxiſſet, ut, qui hoc cognomine appellarentur, tanquam futuri heredes & candidati imperii haberentur. Quippe non ſemper eadem fuit hujus cognominis ſignificatio nec vis. *Cæſaris cognomen primus Auguſtus a Julio Cæſare adoptatus aſſumpſit jure teſtamenti & adoptionis. Inde factum ut poſtea Cæſares dicerentur, qui erant ſucceſſuri imp. ſed id fluxit primum ex conſuetudine aſſumendorum nominum in adoptionibus*, Robertel. *de cognom. & appellat. impp.* Eodem ſenſu Cajus & Lucius Cæſares appellati fuerunt. *Nam genitos Agrippa Cajum & Lucium in familiam Cæſarum induxerat Au-*

Auguſtus, teſte Tacito. Quod veteres dicebant aſciſcere in nomen familiæ. Atque hoc modo Cæſaris nomen aſſumptum ab Octavio, deficiente Cæſarum progenie, quoque defecit, quod contigit Nerone mortuo, teſte Suetonio in *Galba*. Qui tamen & ipſe depoſito legati ſuſcepit Cæſaris nomen, ſcil. cum imperio, quaſi cum eo cognomen illud pari paſſu ambularet; poſtea qui heredes imperii conſtituti ab imper. adhuc vivente, ita dici cœperunt, conſenſu tamen populi vel Senatus ut opinor accedente. Quamobrem Capitolin. in *Severo* Cæſarem Baſſianum Antoninum a Senatu appellari juſſit. Decretis, ſcil. a Senatu, imperatoribus inſignibus. *Et in Pertinace, Senatus ejus filium Pertinacem Cæſarem appellavit, ſed Pertinax nec uxoris Auguſtæ appellationem recepit, & de filio dixit*
cum

eum meruerit. Senatus itaque & populus appellationes dabat, imperat. attamen non omnes recipiebant, ut hic patet Initio enim cum nudum esset cognomen nullam tribuens potestatem, sed generis seu stirpis tantum successionem significans, ut inquit Dion. *l.* 53. *p.* 345 (Quamobrem de Octavio *lib.*46. *Deinde secundum instituta majorum in Cæsaris familiam*, non imperii societatem vel consortium, vel in spem ejusdem futuri heredis, *adoptatus est*, nomenque mutavit, ac Cajus Julius Cæsar Octavianus dictus est. Sic enim institutum est, ut qui adoptatur, ab adoptante appellationem accipiat, nomen tamen eorum quæ prius gessit aliquod aliter paulo formatum servet.) nihil intererat Senatus vel populi quinam hoc cognomine appellarentur. Verum cum interjecto tempore tanquam futuri imperii heredes haberentur,

rentur, maxime intererat Senatus populique quinam Cæsares dicerentur; non ad nomen familiæ obtinendum, sed principatum. Quamobrem ne quis sibi invito obtruderetur imperator, quem eligendi populo aut Senatui jus erat, interveniebat plerumque ejus auctoritas & consensus. Eodem sensu & imperatorum filii *principes juventutis* dici soliti, & alii consanguinei adhuc adolescentes, quamobrem Tacit. *lib.* 1. *princ. Primo principes juventutis nondum posita prætexta puerili appellari cupiverat Agrippa.* Sermonem habens de Cajo & Lucio adolescentibus filiis Agrippæ, quos adoptaverat Augustus. Neque hac appellatione ulla potestas indicabatur, sed dignitas tantum quædam, qua imperatorum filii usque ab adolescentia cohonestarentur & a cæteris distinguerentur. Principes quasi primi, juvenum dignissimi. Sic quem-

ad-

admodum Augustus in Senatu, civitatis & reipub. princeps, sic voluit liberos adoptatitios *principes juventutis* appellari, ut quanto ipse patribus cæteris emineret, tanto ejus liberi cæteris liberis antestarent. Atque hæc appellatio pari passu cum Cæsaris cognomine ambulabat, ut videre est ex nummis qui cum hac inscriptione obvii. C. L. CÆSARES AUG. F. CÆS. DESIGN. PRINC. JUVENT. Quæ appellatio cum Cæsaris cognomine ad omnes postea Cæsarum filios defluxit. Sic TITUS ET DOMITIANUS CÆSARES PRIN. JUVENTUTIS, in nummo, cujus ectypum expressum nobis Reipub. litterariæ summum decus & ornamentum Vir Nobilissimus & Amplissim. omnibus animi dotibus florentissimus Ezechiel Spanhemius, in elegantissimo opere *de præstant. & usu numism.* exhibet. Est hic

hic nummus percussus æreus & quidem rarissimus, in cujus nempe anteriori parte illius effigies, in altera duæ figuræ equitantes cum dicta inscriptione.





Leguntur & apud Gruterum inscriptiones Valentiæ in Hispania repertæ, in quibus & hæ appellationes conjunguntur


Q. HERENNIO ETRUSCO DECIO NOBILISSIMO CÆS. PRINCIPI JUVENTUTIS VALENTINI VETER. ET VETERES.

C. VA-


C·VALENS HOSTIL·MES·QVINTVS·N·C·
PRINCIPI IVVENT

Pag. 107







C. VALENTI HOSTILIANO MESSIO QUINTO NOBILISSIMO CÆS. PRINCIPI JUVENTUT. VALENTINI VETERANI ET VETERES. & ita quoque in nummis

M. OPELII ANTONINI DIADUMENIANI CÆS. PRINCIPIS JUVENTUTIS C. PERPINIANUS V.C. PRÆF. URB. D.D.

VICTORIOSISSIMO PRINCIPI JUVENT. M. AURELIO CARINO NOBILISS. CÆSARI COS. PRO COS.

Erat hæc appellatio quaſi ſequela cognominis Cæſaris, quæ tribui ſolebat principum ſive imperatorum filiis, quamvis non omnibus, ut ſtatim annotavimus, ſive

ve naturalibus, sive adoptivis, quasi ejusdem familiæ & proinde quoque cognominis heredibus, adoptio enim naturam imitatur, & eosdem fere effectus producit, atque jura tribuit, quæ ex generatione dimanant. Principes quasi primi dignissimi juvenum, quia in familiam Cæsaris cooptati. Primi, quia imperatoris seu principis, sub quo nomine imperium acceperat, Aug. filii, sic enim princeps civitatis dictus Marcellus, sic apud Quitilianum *Domitius Aper princeps fori, & M. Tullius in repub. princeps*. Eodem sensu princeps Senatus, qui a Censoribus legi solitus. Quemadmodum itaque ad Aug. imperio translato tanquam princeps, id est primus erat in repub. ita & adoptativos liberos non quidem ejusdem majestatis, sed tamen honoris participes esse voluit, quamobrem PRINCIPES JUVENTUTIS appellari

pellari voluit, ut ſtatim diximus. Quamobrem hanc appellationem non ab Auguſto primum excogitatam, ſed antea vulgarem fuiſſe & iis tributam, qui cujusque ordinis, vel ſocietatis primus erat perhibent monumenta. Sic Equeſtris ordinis nobiliſſimi adoleſcentes *principes juventutis*, quo pertinet illud Juvenal.

Jam princeps Equitum.

Quod minus commode interpretes per magiſtrum Equitum interpretari docet literatorum princeps Ezechiel Spanhemius *diſſert.*7. Nonnulli viri docti hoc nomen a Trojæ ludrico derivant, ut is qui præerat ex primariis juvenibus, ductor turbæ puerorum majorum vel minorum principio *juventutis princeps* dictus fuerit. Quamobrem mihi hæc appellatio nihil aliud denotare videtur, nec initio mutationis reip. cum a conſulibus ad imperatores ſummum imperium trans-

 latum,

latum, nec etiam fucceffu temporis aliud fignificaffe quam dignitatem vel præcedentiam, quam imperatorum filii habuerunt præ omnibus adolefcentibus, cujuscunque generis vel familiæ. Itaque nullum jus confequendi imperii tribuiffe filiis adoptitiis, nec nomen Cæfaris, quia tantum appellativum, inditum iis, qui in familiam Cæfaris adfciti ut jam annotatum. Quamobrem nec ex Suetonio, nec Tacito mihi probari poffe videtur vel Octavium vel Tiberium ex adoptione vel appellatione Cæfaris, vel hæredis inftitutione, ullum jus metiri voluiffe ad vindicandum fibi imperium, fed quafi confenfu civium in fe translatum, quod revera vi & metu extorfum, in vulgus differninare voluêre, ut fuper. dicere incepimus. Quemadmodum enim invaferat rempub. Cæfar, ita & eam occupaverat Auguftus, Tiberius dolo,
fraude,

fraude, cum vi & crudelitate conjuncta adeptus erat imperium. Quamobrem sermone vulgabatur, *Pietatem erga parentem & tempora reipub. obtentui sumpta. Cæterum cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos, paratum ab adolescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompejanarum gratiam partium, extortum invito Senatu consulatum, armaque, quæ in Antonium ceperit, contra rempubl. versa.* Tacit. 1. annalium & paulo ante, *ubi militem donis, cunctos dulcedine otii pellexit; insurgere paulatim, munia Senatus, magistratuum, legum in se trahere nullo adversante: cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, cæteri nobilium* (forte metu vel etiam inopia, coacti, vel ambitioni inservientes) *quanto quis servitio promptior, opibus &*

honoribus extollerentur. Veriffimum illud Taciti, quod imperium iisdem artibus quibus partum, facile retinetur. Inficiari non poffum, præterquam quod a Julio Cæfare teftamento heres ex dodrante fcriptus Octavius Aug. etiam in familiam nomenque adoptatus. Sed eo nullum ipfi jus quæfitum, quo fibi poffet jure vindicare imperium quafi hereditarium. Quippe cum non plus juris in alium poffet transferre Cæfar, quam ipfe habebat, ergo quemadmodum ipfe vi & armis rempub. invaferat & occupaverat imperium, non poterat tanquam legitimus poffeffor invito Senatu vel populo fibi eligere fucceflorem, fed quidem commendare & quafi per adoptionem in familiam Senatui ac populo offerre quem fibi fucceflorem optaret. Et voluit etiam Auguftus, ut hoc vitium purgaret, ut ita dicam, videri

deri potius imperium accepiſſe ſub nomine principatus, quam per ſucceſſionem in jus defuncti illud ſibi vindicaſſe. Ita quoque Tiberius nullum ſibi jus metiri voluit ex inſtitutione vel adoptatione in familiam Auguſti Cæſaris, ſed *dabat famæ ut vocatus electusque potius a repub. videretur, quam per uxorium ambitum & ſenili adoptione inrepſiſſe*, ut ſupr. ex Tacito 1. *annal.* annotavimus. Inrepere autem dicitur qui clam vel latenter, quaſi ſine jure aliquid occupat vel invadit, ſibique vindicat. Hinc Suet. *in vita Tib. c.* 24. *Principatum quamvis neque occupare confeſtim, neque agere dubitaſſet, & ſtatione militum, hoc eſt, vi & ſpecie dominationis aſſumpta, diu tamen recuſavit impudentiſſimo animo, nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros; quanta bellua eſſet imperium, nunc precan-*

tem Senatum, & procumbentem ſibi ad genua, ambiguis reſponſis & callida cunctatione ſuſpendens. Tandem quaſi coactus, & quærens miſeram & oneroſam injungi ſibi ſervitutem recepit imperium: nec tamen aliter quam ut depoſiturum ſe quandoque ſpem faceret. Hinc Sueton. tradit de reddenda republ. bis cogitaſſe Auguſtum quaſi injuſte eam occupaſſet. Reddere dicuntur, quæ ſunt juris alieni, quæ injuſte poſſidentur, vel ablata aut precario accepta. Præterquam quod nulla mihi videtur excogitari poſſe ratio, cur voluerit dare famæ Tiberius ſe potius electum, quam per ſenilem adoptionem ad imperium perveniſſe, ſi adoptio quemadmodum nomen Cæſaris, ita quoque jus ad arripiendum & vindicandum imperium tribuiſſet, idque eo magis quia ejusmodi adoptio qualis fuit ea, qua Tiberius

in familiam Cæſaris adſcitus, fiebat lege Curiata, id eſt publice, conſenſu populi interveniente, cujus erat eligere imperatorem & dare faſces, & coram Pontificibus. Ex omnibus hiſce videtur mihi ſat manifeſte poſſe perſpici, neque *Cæſaris* cognomen, neque *principis juventutis* appellationem aliud quid denotaſſe, quam vel per generationem vel adoptionem in familiam Cæſaris transiiſſe, id eſt Auguſtorum ſive Imperatorum liberorum in numero haberi, quibus hoc cognomen vel hanc appellationem vel per natales vel adoptionem ipſo jure deferre mos introduxerat. Nec alio ſenſu interjecto tempore, deficiente, jam Cæſarum progenie, ſub ſeqq. imperatoribus, eorum filii *principes juventutis* appellati, quamvis alio ſenſu dicti Cæſares, quaſi candidati imperii & futuræ majeſtatis heredes, illud ipſum tamen cognomen reti-

nebant, jam imperii participes, vel Imperatores facti: quippe posterioribus temporibus Cęfaris cognomen duplicem habuit fignificationem; vel fignificabat Imperatorem jam actu imperium tractantem, vel defignatum imperii fucceflorem, itaque & cum imperio tranfibat nomen Cæfaris, fic Cæfares dicti omnes Imperatores, quemadmodum & Augufti, fic Tacitus quamvis nunquam defignatus imperii hæres & proinde Cæfaris cognomen tuliffet, a Senatu militibus fuo jure uti ei permittentibus fimul cum imperio, quod ei delatum, & nomen Imperatoris & Cæfaris & Augufti adeptus, unde in nummis, IMP. C. M. CL. TACITUS AUG. Sic & Pertinax ex Senatusconfulto imperare juffus hofce fimul titulos accepit cum imperio. Hinc apud Gruterum infcriptio.

OPI

OPI DIVINÆ
ET FORTUNÆ PRIMIGENIÆ
SACRUM IMP. CÆS. HELVII
PERTINACIS AUGUSTI &c.

Hinc apud Lamprid. *Alexand. Sever. Alexander Auguſte, Dii te ſervent, Cæſar noſter, Auguſte noſter, Imperator noſter.* Solebat aliter dignitas Cæſaris tanquam ſucceſſoris & deſignati imperii heredis præcedere titulum Imperatoris & Auguſti, atque hæc altera Cæſaris ſignificatio. Qui vero hoc modo Imperatores deſtinabantur, imperatoriis inſignibus decorati in publicum procedebant, utebantur pallio coccineo & purpura, ſed ſine auro: ſimul itaque cum nomine Cæſaris & imperialia decernebantur inſignia, quamobrem Commodus ad Albinum, quem Cæſarem appellari voluerat: *Sane ut tibi inſigne aliquod accedat imperialis majeſtatis, habebis utendi coc-*

cinei pallii facultatem me præsente & ad me & cum mecum fueris, habiturus & purpuram, sed sine auro, quia ita & proavus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Adriano qui eum adoptavit, accepit. Augusti vero dignitatem sive titulum accipere non solebant, nisi participes imperii facti, quod quandoque uno eodemque tempore factum ex veterum constat monumentis, consensu Imperatoris jam viventis interveniente, siquidem a Senatu vel militibus, quamvis non semper, utpote qui hanc sibi facultatem, Senatui vel populo concessam, arrogabant, ut alibi diximus, renuntiaretur. Quemadmodum & ab ipsis imperatoribus dicti, sed confirmante plerumque electionem vel dignitatis delationem Senatu, illud exigente imperatore. Sic cum Senatus filium Pertinacis Cæsarem atque uxorem Augustam appellaverit, recusavit illam appella-

lationem imperator, atque de filio dixit quum meruerit. Jul. Capitol. *in Pertinace*. Hinc Severus imperator quia milites filium Bassianum, qui Cæsar erat factus, i. e. destinatus imperator, annum jam decimum tertium agentem participem imperii dixerant, iis donativum largissimum dedit, concessa omni præda oppidi Parthici, quod milites quærebant. Spartian. *in Sever*. a quo tempore duo numerari cœperunt Augusti. Atque sic sæpius in consortium imperii vocare solebant imperatores aliquem e filiis vel uno eodemque tempore, quo Cæsares creabantur, vel per gradus ad summum hoc majestatis fastigium pervenire satius ducebant. Atque si universam imperatorum seriem diligenter examinare volumus, perspiciemus plerumque fere Senatum vel populum aut militem vel pro auctoritate, & potestate sibi con-

cessa vel flagtantibus ipsis imperatoribus Cæsares renunciasse, aut confirmasse. Sic Titus & Domitianus Cæsares a Senatu designati sunt. Sic Hadrianus mortuo Ælio Vero, *cum ipse animo parum valeret, idcircoque despectui haberetur, ad creandum Cæsarem patres convocavit, quibus propere accurrentibus Antoninum conspexit senis soceri, aut genitoris anxios gressus levantem manu: quo mire oblectatus, adoptatum legibus Cæsarem jubet*. Teste Victor. Idem de Bassiano annotavimus. Diadumenus Cæsar a militibus appellatus. Victor. Et ut testatur Lamprid. cum patre Opilio Macrino imperatorem id est Aug. dixit exercitus, puerulum adhuc, id est nondum deposita puerili prætexta. Cæsarem vero tantum appellatum tradit Herodianus, & Capitolin. in *Macrino*, cum inquit, *Sciendum prætere-*

ea

Pag. 181.






M·OPEL·ANT·DIADUMENIAN·CAES·
PRINC IUVENTUTIS

ea quod Cæſar fuiſſe dicatur, non Auguſtus, Diadumenus puer, quem plerique pari fuiſſe cum patre imperio tradiderunt. Lampridii vero ſententiam amplectitur Eutropius. Atque nihil obſtare video, cur non uno eodemque tempore Cæſarem quidem primum, paulo poſt cum patre Auguſtum renuntiatum permittente Macrino, vel una eademque proclamatione diceremus. Sed diverſo quamvis brevi forte interjecto tempore Auguſtum eſſe renuntiatum probare videntur diverſi nummi, qui locum Lampridii explicare videntur, & ejus ſenſum elucidare. In uno caput Diadumeni nudum nullo Auguſtæ majeſtatis vel imperatoriæ dignitatis inſigni nec laurea, nec diademate vel corona ornatum. In altero conſpicitur radiata cinctum corona. Cæſaribus enim ejusmodi inſignibus uti non fuiſſe conceſſum

eruditorum opinio eſt, quod hiſce tanquam ſummæ majeſtatis & altioris faſtigii notis diſtingebantur a Cæſaribus Auguſti. Hinc Sozimus, diadema παραχζήμιον imperatoriæ dignitatis vocat, & inſigne Auguſtæ majeſtatis. Nec ſilentio hoc diſcrimen præterit Ammianus *lib.* 20. *cap.* 4 cum inquit, de Juliano ſermonem habens. *Impoſitusque ſcuto pedeſtri & ſublatius eminens nullo ſilente Auguſtus renuntiatus jubebatur diadema proferri: negatque umquam habuiſſe, uxoris colli vel capitis poſcebatur. Eoque affirmante, primis auſpiciis non congruere aptari muliebri mundo, equi phalera quærebatur, uti coronatus ſpeciem ſaltem obſcuram ſuperioris prætenderet poteſtatis. Sed cum id quoque turpe eſſe aſſeveraret: Maurus nomine quidam, poſtea Comes, Petulantium tunc Haſtatus, abſtractum ſibi*

ſibi torquem, quo ut Draconarius utebatur, capiti Juliano impoſuit confidenter. Sic etiam Conſtantius poſtquam comperiſſet Conſtantinam Veteranionem Cæſarem feciſſe, ne Magnentius Tyrannus imperium omnium ſibi vindicare feſtinaret, ilico Veteranioni diadema miſit, tributaque ei imperatoria dignitate referente Philoſtorgio *lib.* 3. *cap.* 22. Sic etiam Conſtantinam a patre Conſtantino diademate ornatam & Auguſtam nuncupatam tradit eod. loc. Quemadmodum contra Veteranioni mox diadema ademptum abrogato ei imperio ut Socrates *lib.* 2. & Nicephorus *lib.* 9. *cap.* 32. teſtantur. Quod ſi verum, quid ex dictis nummis aliud colligere poſſumus, quam & Cæſaris & imperatoria dignitate ornatum fuiſſe Diadumenum, utpote cujus caput corona ſive diademate redimitum conſpicimus. Atque in altera

par-

parte inscriptio favere videtur nostræ opinioni, scil. *principes juventutis* non solum illi dicti, qui jam Cæsares renuntiati quasi futuræ majestatis heredes, cujus & hanc appellationem. Symbolum quoque fuisse eruditorum est opinio, sed & etiam consortes & participes jam imperii Cæsares, quandoque *principes* appellati, forte juvenes admodum & vivente patre non solum in consortium imperii vocati, sed iisdem quoque condecorati titulis, quasi simul & imperatores & Augg. filii. Quorum propria erat hæc appellatio. Nec obstat quod Cæsaris tantum nomen utrique præ se ferant nummi, quippe capitis insigne & ornamentum idem significat, quod in aliis nummis nomen *Aug*. in quibus caput imperatoris nec laurea, nec diademate vel corona redimitum cernimus. Ut perspicimus ex plurimis nummis imperato-

torum cum florente adhuc cum labente jam imperio Romano percussi. Nihil certi ex insignium horum usu affirmari mihi posse videtur, nisi accedat scriptorum autoritas, quamobrem oportet ut cum hoc studiorum genere sit conjuncta Historiarum accurata cognitio, ut, quod uni deest, ex altero suppleatur, atque ita sese mutuo adjuvent utraque studia. Temporum mutatio sæpe etiam mores mutat. Sæpius Augustorum caput laureatum, quandoque nudum in nummis conspicimus, atque nisi inscriptio testatum faceret, vel etiam Historiæ eorum temporum, quibus vixerunt singuli, memoriæ prodidissent, Cæsares tantum vel imperatores aut Augustos fuisse, ex insignibus vix posset constare. Imo & posset falli utrumque, ut patet ex nummo in honorem Cæsaris Germanici ex Senatusconsulto, quem nobis exhibet

hibet Conftant. Landius illuftriff. Comes Italus, in fuis aliquot Impp. Romanorum numifmatum expofitionibus, percuffo, in cujus pofteriori parte C. CÆSAR AUG. GERMANICUS. PON. M. TR. POT. *Non enim*, inquit, *fucceffit in imperio poft Octavianum Auguftum: nec Germanicus Auguftus unquam fuit dictus, apud quem fumma reipub. deferebatur: nam Germanicus nunquam dominationem affumpfit, & fi pertinaciffime in exceffu Octavii Augufti, legiones recufantes Tiberium, Germanico deferre vellent. Solo itaque imperatoris nomine decoratus fuit Germanicus.* Quamobrem fi quis fibi huic infcriptioni habenti fidem, Germanicum Auguftum nuncupatum eo fenfu, quo fummum majeftatis faftigium penes aliquem refidere fignificat, perfuaderet, admodum fefe falleret. Verum in veterum


GERMANICVS CAES · TI AVGVST F DIVI AVGN


C · CAESAR AVG · GERMANICVS PON · M · TR · POT ·
SC

terum monumentis versatus atque Cæsarianorum temporum scriptores evolvens hunc errorem facile perspiciet, atque constabit ipsi nunquam Germanicum Augustum dictum fuisse, *nisi*, ut inquit illustriss. Comes, *concedamus illi fuisse hoc nomen ab Augusto Octavio concessum, quia docent nos scriptores, valde illum dilexiße Octavianum, ut etiam diu cunctatus sit, an sibi successorem destinaret. Sed verius ego*, pergit, *in numismate legerem, interpretarerque, quod illæ notæ* (scil. illa inscriptio quam statim descripsimus) *ad Cajum Caligulam ipsius Germanici filium, quem post Tiberium in imperio successiße constat, spectent. Nam & ipsum Germanicum vocatum fuisse, perhibent annales*. Neminem latere puto imperatores Romanos nec iisdem insignibus nec inscriptionib. semper usos fuisse, quamvis iisdem

iisdem condecorati titulis, præsertim labente imperio, itaque sæpius falleretur, si quis ex illis rerum veritatem eruere se posse putaret, nisi prius sibi comparasset exactam Historiarum scientiam. Testatur enim Suet. Vitellium Germanici nomen recepisse, Augusti distulisse. Cæsaris in perpetuum recusasse, Hinc Tacit. *Histor.* 2. *Præmisit in urbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Cæsaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret.* Sed *Histor.* 3. *testatur* tandem *Cæsarem* se dici voluisse, quamvis aspernatus antea, sed sero sapiebat. Quamobrem quamvis revera summa rerum potitus atque imperatoris & Augusti fastigii particeps, nomen tamen recusabat, nisi quod serius tandem assumpserit, quamobrem rariores illi nummi, in quibus expressum *Aug.* cognomen. Sic Hadrianus omissis aliis titulis

Au-

Augusti tantum nomen assumpsit. Sic Diadumenus Cæsaris titulo contentus aliis abstinuisse videtur, sed ornamentum & insigne, quo caput cinctum Cæsaris non solum dignitatem & Augustæ majestatis successionem, sed cum potestate conjunctam denotat, quippe supr. annotavimus duplicem habere significationem hoc vocabulum, ita ut quandoque absque imperio, quandoque cum eo conjunctum accipi debeat. Ipse se in literis quibus patrem convenisse tradit Lamprid. hoc titulo decoravisse constat, cum ita incipit. *Patri Augusto Augustus filius* &c. Unde capiti ejusmodi insigne inditum quo & omnes Augusti uti solebant, nisi quod aliquando vel diademate vel laurea coronæ loco caput redimitum in nummis imperatorum Aug. cernamus, sed eadem quoque Cæsaribus communia, præsertim magis

magis-

magisque labente Romano imperio. Ergone infigne illud quo redimitum caput Diadumeni aliud quid fignificare videatur, quam illum juxta infcriptionem Cæfaris tantum dignitate ornatum fuiffe? quemadmodum plerique feqq. Cæfares eodem ornamento caput circumdediffe ex nummis perfpicimus, ac aliorum fcriptorum teftimonia confirmant, ita Claudianus de Honorio nondum Cæfare nondum Augufti faftigii participe *carmin.* 7. *verf.* 84.

Et facro meritos ornat diademate crines.

Ut & alia auctorum loca, quæ adduxit Vir nobiliff. Spanhemius *differt.* 8. *de præftant. & ufu numifm. Quæ ita*, inquit, *videntur concilianda, ut ftatuamus proprium fuiffe Augufti infigne, Diadema illud feu coronam auream gemmis contextam, atque de illo Diadema-*

te

te ſeu aurea gemmata corona intelligenda ſtatuit illa auctorum loca, qui Diadema aut Coronam ſoli Auguſto faſtigio vindicant. Neque ſtatuendum, pergit, *ſucceſſu temporis, omni corona aut diademate Cæſares ita dictos caruiße, ſed habuiſſe eosdem quod minoris eſſet pretii ac ſplendoris, ſicut etiam in Byſantinis monumentis legiſſe memini. Conſtantio certe parenti Conſtantini, adhuc Cæſari diadema illi faſtigio peculiare diſerte tribuit Euſebius*, cum inquit, *qui initio quidem Cæſarum diademate decoratus.* Verum cum non lateret virum judicio & eruditione florentiſſimum, *hæc turbare alii Cæſarum id genus nummi, in quibus ſublato omni diſcrimine cum gemmato diademate, ante & poſt conſecutum nomen Auguſti depinguntur*, hunc nodum ita ſolvit ſcil. *ſub Conſtantino*

tino Magno inductum primum loco laureæ solennis ac ordinarii usus Gemmati diadematis, quo vel per aliquot sæcula caruerant Romanorum Imperatores, vel rarissime usi conspiciuntur, qualis annuum primus Caracalla & post eum Elagabalus, Aurelianus, Carinus; Admissum autem a Constantino ritu ordinario diadema, quod rursus nummi ejus arguunt: ita tamen ut cum aliis honorum insignibus, ejusdem etiam usum in filios in partem curarum ac imperii adsumptos derivari pateretur. At non continuo quæ patris fuerat in liberos eadem filii Constantii in consobrinos Gallum & Julianum indulgentia. A quo Cæsares quidem renuntiati, sed cum modo & mensura, nempe sine diademate. Non inficior eruditissimam hanc esse viri summi observationem & expositionem, illud sane constat diadematis

matis, poſtquam Conſtantinus ſummæ rerum præfuit, frequentiorem fuiſſe uſum, quam ſub anterioribus Imperatoribus, utpote quorum capita Corona radiata vel laurea redimiri moris fuiſſe ex nummis ſatis aperte perſpicimus, atque etiam eodem ornamento Cæſarum capita decorata conſpicimus ſine ullo diſcrimine, ut conſtat ex diverſis & Cæſarum & Imperatorum Auguſta majeſtate condecoratorum, numiſmatis. Itaque facile quem mihi conceſſurum arbitror vetuſtiori tempore, quod antecedit imperium Conſtantini, vix ex capitis ornamentis & inſignibus diſcerni potuiſſe Auguſtam majeſtatem a dignitate Cæſarea. Atque etiam poſtquam Conſtantinus ſumma rerum potitus, laurea adhuc vel corona radiata non ſolum Cæſarum, ſed etiam Augg. capita redimita, nummi teſtantur, quo orna-

mento condecoratus ipſe Conſtantinus in nummo, quem in ſuo ſelectiſſimorum nummorum aſſervat theſauro Vir Ampliſſimus cum in aliis diſciplinis, tum etiam hoc ſtudiorum genere verſatiſſimus, mihique exhibuit D. *Modè*. Sic in aliis diademate decoratum conſpicimus, quemadmodum utroq; ornamento & inſigni Conſtantini junioris caput ridimitum nummi referunt. Imo neutro ornatum conſpicimus Magnentium, quamvis Aug. Sin autem promiſcuus imperio ad Conſtantinum M. devoluto, atque etiam ſubſeqq. imperatoribus eorum inſignium uſus, qui eum exceperunt, non videtur mihi illa diadematis differentia aliquem nobis uſum poſſe præſtare ad dignoſcendam Auguſtam a Cæſarea dignitate, majeſtatem, niſi hic iterum intercedat eorum temporum Scriptorum fides. Non inficior ex inſcriptionibus & dignitates perſpici poſ-

ſe,

ſe, verum quoniam ſupr. annotavimus, & eas ſæpius pro lubitu Imperatorum nummis impreſſas, tum etiam nec convenire idem dignitatis nomen inſignibus & ornamentis, quibus & Aug. & Cæſares variis temporibus condecoratos ſe in nummis depingi voluêre, nec iis fides adhibenda niſi confirmata Scriptorum illorum temporum teſtimoniis. Quod de dignitate Cæſarea luce meridiana clarius mihi eſſe perſuadeo. Quamobrem duplicem hujus appellationis ſignificationem annotavimus; unam, quæ convenit deſignatis imperii heredibus & ſub primis Rom. Impp. potiſſimum obtinuit; alteram, quæ cum imperio conjuncta Aug. vel ſaltem imperii participes & in ſocietatem potentiæ vocatos denotat. Quorum in numero omnes fere poſteriores Cæſares collocandi, qui & Imperatorum atque Aug. inſignibus ſeſe

condecoraſſe nummi teſtatum faciunt. Quo enim magis magisque labi cœpit Romanum imperium, eo aucta etiam Cæſarum magis poteſtas. Huic ut ſatisfaceret objectioni, quæ ſecundo loco moveri poſſet, Vir omni eruditionis genere Celeberr. diadematis aliorumque inſignium, quibus uti ſolebant Imp. & Aug. Conſtantinus, uſum etiam conceſſum Cæſaribus ejus filiis in partem curarum ac imperii adſumptis reſpondet. Verum vehementer dubito an ex nummis poſſit conſtare, illud perpetuo obſervatum, quod forte Conſtantius tanquam commodum aliquod peculiare Imperatorum filiis conceſſit; tum etiam ex omnibus nummis, qui ſub Conſtantino ejusque ſucceſſoribus percuſſi, poſſit hæc conſuetudo affirmari. Sane conſtat ex nummis *Licinium*, *Delmatium*, iisdem inſignibus Cæſarum inſignitos quamvis non impe-

pe-

Pag. 297.





Pag. 497







peratoris filii, sed nepotes. Sed ut ad Diadumenum noſtrum revertamur, videtur capitis inſigne favere Lampridio ; ſaltem ſi non Auguſtus, imperii tamen participem fuiſſe nullus dubito, & propterea capitis ornamentum eum diſtinguit ab illis, qui Cæſares appellati quaſi deſtinati ad imperium aliquando ſuſcipiendum, omni prorſus illis rerum adminiſtratione interdicta. Eodem modo & plurimi alii Cæſares dicti, atque iisdem inſignibus decorati, eædem figuræ nummis impreſſæ, ita ut ſi inſcriptio non diſtingueret dignitates, vix conſpici poſſet, quis Cæſar, quis Aug. ut ex contentione Philippi cum Gordiano videri poteſt. Itaque ut, ſi absque inſcriptione eorundem effigies & inſignia cum Auguſt. conferantur, vix ulla differentia perſpiciatur. Eorum uſus primo conceſſus videtur iis, qui non ſolum Cæſares nuncu-

pati, sed etiam participes imperii facti, vel imperatores electi, sed nondum facti Augg. Hæc etiam distinctio & dignitatis differentia apud autores videre est. Quamvis Augusta dignitas semper cum Imperatoria conjuncta, attamen viceversa qui imperii particeps vel Imperator renuntiatus non semper Aug. Quamobrem salva tanti Viri summa eruditione dixerim, errare mihi videtur Salmasius in notis suis ad locum Spartiani in *Severo Cæsare*, ubi inquit, *Qui jam ante post bellum Parthicum consentiente patre appellatus erat imperii particeps. Qui enim imperii particeps, is omnino & Augustus censebatur, nihil enim medium inter Augusti appellationem & Cæsaris.* Imo revera medium imperatoria dignitas sive imperii consortium. Atque hasce dignitates sejungit Eutropius, cum inquit, *Hinc*

Hinc Licinius Valerianus in Rhætia & Norico agens ab exercitu Imperator, & mox Augustus factus est. Atque paulo post, *Claudiusque ei successit a militibus electus, a Senatu Augustus appellatus est.* Eadem differentia & perspici posse videtur, si ea, quæ de Tiberio Tacitus tradit, conferamus cum iis, quæ apud Sueton. *in vita Tib.* legimus. Tradit enim Tacitus Tiberium in societatem imperii & Tribunitiæ potestatis consortium adsumptum ab Octaviano Augusto. Augusti vero nomen demum mortuo Augusto ipsi testamento delatum, utpote quod sibi uni proprium servare voluerat pater, quoniam in eo vis magna potentiæ ipsius sita erat. Quamobrem neque Imperatorum filii, quamvis in societatem potentiæ Augustæ vocati, statim Augusti facti. Imperatores autem quandoque appellari ex scripto-

ribus constat, qui imperii participes facti; imo interjecto tempore Cæsaris dignitas cum imperio conjuncta fuisse videtur, & proinde Imperatores etiam Cæsares, quamvis hoc titulo abstinuerint publice sese insignire, quia cum Augusti dignitate quam arctissime conjuncta & quasi pari passu ambulabat, ita ut sæpius nudum Imperatoris nomen Augustum denotare apud Cæsarianorum temporum Scriptores inveniamus. Quandoque etiam & alio sensu occurrit, nam ut dicere incepimus, quo magis labi cœpit imperium Romanum, eo Cæsarum aucta magis videtur potestas. Ita ut nonnulla Augustæ majestatis jura ipsis quoque communicata videantur, quorum in numero & jus cudendæ monetæ, quod sibi vindicarunt posteriores Cæsares. Sic Imperatorem Bassianum Severi filium jam imperii in consortium vocatum

nun-

nuncupat Victor, non Augustum, si ejus verba conferamus cum iis, quæ habet Spartianus. *Nam cum pedibus æger, bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, ejusque filium Bassianum, qui Cæsar una aderat, Augustum fecissent, in tribunal se ferri, adesse omnes, Imperatorem qui scil. filium Bassianum, ac tribunos, centuriones ac cohortes, quibus auctoribus acciderat; sisti reorum modo jussit.* Cæsar aderat, & quia cum imperio, id est consors potestatis erat, etiam aderat tanquam Imperator: Cæsaris nec Imperatoris nomine appellat eum Spartianus, utpote qui paulo ante honores, quibus ornatus permittente patre a militibus, meminerat, *Adesse*, inquit, *deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus id acciderat! sisti deinde filium*, scil. Imperatorem, qui Augu-

sti nomen acceperat, *jussit. Quumque animadverti in omnes auctores facti præter filium juberet &c.* Sic Carinus & Numerianus quamvis Cæsares, imperii tamen consortes, quippe tradit Eutropius duobus annis regnasse cum patre Caro Augusto. Sic etiam Gordianus quamvis tantum Cæsar dictus pariter cum Pupieno & Clodio Albino Imperatoribus creatis, a Senatu & a populo Augustis, Imperator vocatus, ita enim Capitolin. in *Max. Hæc quum Romam nuntiata sunt, Senatus Maximi & naturalem & jam necessariam crudelitatem timens, mortuis duobus Gordianis, Maximum Pupienum ex præfecto urbi, & qui plurimos præcipue gessisset, ignobilem genere, sed virtutibus clarum & Clodium Balbinum moribus delicatiorem Imperatores creavit. Quibus a populo Augustis appellatis, per milites*


ΑΥΤ·Κ·Μ·ΚΛΟΔ
ΠΟΠΗΝΙΟC CΕΒ·


ΤΑΡCΟΥ ΜΗΤΡΟ
ΑΜ·Κ·
Γ·Β·
ΠΟΛ ΕΩC

tes & eundem populum etiam parvulus nepos Gordiani Cæſar eſt dictus. Tribus igitur Imperatoribus contra Maximinum reſpubl. fulta eſt. Atque in hoc rerum ſtatu nummum a Tarſenſibus cuſum exhibet nobis Vir Illuſtriſſim.& Excellentiſſim. D. Maurocenus Senator Venetus in ſuo *numiſmatum Theſauro*, in quo tria Principum, Gordiano inter duos Auguſtos Pupienum & Balbinum medium tenente, capita impreſſa eodem ornamento circumdata conſpicimus. Hinc Imperatorium principatum Cæſaris dignitatem vocat Capitolin. in M. *Anton. Philoſ.* Hæc confirmant quæ habet Herodianus *lib.2.cap.* 15.ubi de Severo ſermonem habens, filiis ſuis imperium ſervare cupiente,perſpiciens autem Senatus voluntatem majorem circa Clodium Albinum, quod eſſet vir antiquæ familiæ, eum aſtu ſibi adjungendum ratus eſt,

quare ſtatuit eum ſpecie quadam honoris ineſcare; hinc literas ad eum per quosdam ſummi honoris ac ſummæ affectionis miſit, quibus hortabatur, *ut quoniam occiſus eſſet Peſcennius Niger, ipſe cum eo fideliter rempubl. regeret. Eumque Caſarem appellans, ſpem cupiditatemque hominis anticipat poteſtate participanda. Obſecrans, ut ipſe imperii potiſſimum curam ſuſcipiat. Te quæſo*, inquit *ut eo animo rempub. regas, quo dilectus es frater animi mei, frater imperii.* Capitolin. *in Clod. Albin.* infra tamen Auguſti poteſtatem *Cæſarianum hoc imperium*, ut vocat illud Vopiſcus *Carin.* Poterat enim Auguſti arbitrio vel augeri vel minui. Hinc Vopiſcus dict. loc., *Hic quum Cæſar decretis ſibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis ac Britanniis & Africa, relictus a patre Cæſarianum teneret.*

ret imperium, ſed ea lege ut omnia faceret quæ Auguſti faciunt, quod Gallico ſermone diceremus, *Commender en Chef.* Nullus dubito quin ex hiſce perſpiciat lector, eſſe aliquod medium inter *Cæſarem* proprie dictum, id eſt, deſtinatum imperii hæredem, cui omnis rerum interdicta adminiſtratio, & *Auguſtum*, cui ſumma rerum delata poteſtas. ſcil. imperii conſortem, Cæſarem eſſe cum imperio, quo ſenſu Auguſti ſibi hunc titulum, jam Auguſti facti reſervarunt. Aliud eſt Imperatoria dignitate ornatum eſſe, ſed nondum cum ſumma majeſtate conjuncta, Principem eſſe reip. ſed non Principem Auguſtum. Inter haſce dignitates multum interfuiſſe docet Alciatus Senior *in ſuis in Tacit. annotationibus*, cum inquit. *Cæſares dicti, qui Auguſtæ majeſtatis hæredes deſignati eſſent, adminiſtratione rerum illis inter-*

dicta, ni fortasse provinciam Augusti jussu, administrandam haberent. Hinc nulla eis donativi militibus dandi facultas erat. In comitatu eos solum habebant, quos princeps tribuisset. Paulo major Imperatoris dignitas, qui licet infra Augusti fastigium positus, ejus arbitrio bella gereret, summam tamen potestatem in magistratus, atque milites habebat, jusque illi indicendi belli erat. Hæc tamen tantum possidebat precariò, permissu Augusti, unde Julianus in literis ad Constantium. *Præfectos prætorio*, ait, *æquitate & meritis notos tua nobis dabit clementia. Residuos ordinarios judices militiæque moderatores promovendos meo arbitrio concedi est consentaneum, itidemque stipatores.* Cui Constantius per legatos præcepit, *ut se intra Cæsaris potestatem contineret*, scil. ne plura sibi arrogaret,

com-

commoda, quam ipſi conceſſa, quamvis forte olim Cæſaribus, qui imperio ornati, eadem permiſſa fuiſſent. Sane ſi Cæſaris dignitas in nudo tantum nomine ſita fuiſſet, hujus nominis prærogativam non præ aliis principatus titulis tantopere extuliſſet Juſtinianus *novel.* 30. *præfat.* *Qua de cauſa*, inquit, *apud omnes terræ populos nominatiſſimum* CÆSARIS *nomen eſt, & nos præter omnes alias Imperatoriæ majeſtatis notas eo gloriamur.* Non mirum itaque quod Auguſtæ majeſtatis inſignibus uſi, qui Auguſti faſtigii quodammodo participes Cæſares, quorum fere par aut æqualis Auguſtæ, poteſtas fuit. Non plura citabo Scriptorum teſtimonia, ſed eruditorum, quæ hiſce addi poſſent, examinandum relinquam arbitrio, quorum facile principem *Joannem Georgium Grævium* Hiſtoriarum & Eloquentiæ in Alma Traje-

Trajectina Academia Professorem celeberrimum, ejusque maximum ornamentum, MAGNI BRITANNIÆ REGIS Historiographum facundissimum & accuratissimum, ut solet in cæteris, in causa fuisse, celare non possum, quod hanc digressionem disputationi meæ, a qua tamen non plane aliena, inseruerim, utpote quicum aliquando de hac materia sermonem habere mihi jucundissima cum Viro Clariss. consuetudo occasionem præbuit, cujus e congressu semper me doctiorem discedere libens profiteor. Verum possimus videri nondum satisfecisse objectioni, si posteriorem nummi Diadumeni partem intueamur, cujus inscriptio videtur favere Capitolino, Herodiano aliisque Scriptoribus, qui eum Cæsarem tantum fuisse tradunt: quippe JUVENTUTIS PRINCIPEM, Augustum, imperii consortem, Impe-

pe-

peratorem dicere, videtur repugnare ejusdem appellationis & vocabuli energiæ & consuetudini illorum temporum, quoniam *Juventutis Principes* eos appellari ex historiis constat, qui designati imperii heredes, & ejusdem candidati, quibus hoc indebatur nomen tanquam symbolum futuræ successionis, & proinde non imperii translati, sed transferendi erat testimonium & indicium. Sed hisce quædam super reponere incepimus, quibus addi potest illud ipsum non insolitum fuisse, ut perspici potest ex quibusdam Imperatorum sive Cæsarum, qui imperii participes facti, nummis. Eadem appellatione Philippus, quem in consortium imperii in itinere Philippus pater adsciverat, ut testatur Victor, *Sumpto in consortium filio Philippo, rebus ad Orientem compositis, conditoque Arabiam Philippoli oppido, Romam*

mam venit. Unde etiam caput corona redimitum in nummis confpicimus, ut jam oftenfum. Sic etiam in nummo, cujus mihi copiam feciffe Virum Ornatiffimum *D. Modè* paulo ante dixi, caput Conftantini laureatum, cum infcriptione IMP. CONSTANTINUS P. F. AUG. in altera parte figura ftans inter duo figna militaria cum infcriptione, PRINCIPI JUVENTUTIS.



Quem in honorem alicujus e Conftantini filiis percuffum ftatuebat Vir Ampl. propterea quod Imperatorum filii & fucceffores fæpe folerent *Principes juventis* appellari, quod

quod verissimum. Verum & moris erat eorum imagines imprimere nummis, quorum in honorem percussi erant. Cui etiam accedit quod caput figuræ inter signa militaria stantis diademate redimitum non simplicem Cęsaris dignitatem, sed vel Aug. vel in imperii societatem ac consortium vocatum fuisse in cujus honorem percussum indicat. Nec obstat quod mortuo patre Constantio Constantinum demum Cęsarem primo renuntiatum tradat Sosim. quippe Senatum militesque sæpius hanc appellationem imperatorum successoribus dedisse historiæ testantur. Sed posset reponi hanc appellationem non convenire ætati Constantini qua imperium accepit & Aug. dictus est. Tradit enim Victor eum juvenculum ad patrem in Britanniam pervenisse, & forte iisdem diebus ibidem Constantium parentem, cum morte luctantem invenisse. Eoque mor-

mortuo, cunctis qui aderant annitentibus, imperium accepisse. Quod & Eutropius affirmat, cum inquit, *Constantio mortuo, Constantinus, ex obscuriore matrimonio ejus filius, in Britannia creatus est Imperator, & in locum patris exoptatissimus moderator accessit*. Zosimus Cæsaris ei tantum dignitatem tribuisse tradit. Verum testatur Victor, eodem tempore, quo Constantius Constantini pater Augustus appellatus fuit, & Constantinum creatum Cæsarem. Audiamus Zonaram. *Constans autem*, sive *Constantius, undecimo anno in imperio exacto, ex quo Cæsar appellatus fuerat, potestate clementer & humaniter usus, in Britannia extremum diem clausit, cum luctu subditorum, ejus bonitatem desiderantium, filio natu majore, Magno videlicet Constantino ex priore conjuge, imperii successore decla-*

clarato. Habuit enim ex secunda quoque Herculii filia Theodora alios filios Constantinum, Anaballianum & Constantium. Sed Magnus Constantinus prælatus est, quod hi patri ad imperium inepti videbantur. Et paulo post. *Constantinum pater, adolescentem etiamnum, Galerio dedisse obsidem memoratur, ut interim in re militari exerceretur. Quem cum sibi invidere multis ex indiciis perspexisset Constantinus, nocte cum iis quibus fidebat fuga elapsus ad patrem rediit, eoque pacto & periculum evasit, & paterno imperio potitus est.* Vid. Aurel. Vict. & quare non Augusti nomen assumpsisset paternum jam adeptus imperium, utpote qui eodem titulo insignitus partito quasi cum Galerio imperio, quod in Constantinum patre mortuo a militibus translatum. Vict. Eutrop. Quod si hæ rationes vel etiam conjecturæ

jecturæ non ſatisfaçiant, literarum cultoribus & antiquitatibus examinandis & diligenter indagandis operam navantibus, poſſem reponere, non omnium quæ a majoribus conſtituta, & conſuetudine & moribus introducta ſunt, rationem reddi poſſe. *l.* 20. *ff. de ll.* Sed libenter hanc quæſtionem examinandam & diligentius diſcutiendam relinquo, qui excolendis hiſce ſtudiis ſeſe devoverunt, & quotidie enixe dant operam. Hoc ſaltem ex iis, quæ de translatione imperii in Conſtantinum tradunt Authores, conſtat, non ſuo motu illud arripuiſſe, ſed accepiſſe a militibus ſibi delatum, & proinde etiam confirmant quæ paulo ante dicere incepimus, ſcil. Imperium Romanum non hereditarium, ſed electione translatum, vel a Senatu vel populo, vel militibus hanc poteſtatem ſibi arrogantibus, ut ex exemplis a nobis ad-

adductis perſpici poteſt. Sic Diadumenus vel Diadumenianus ut jam diximus Cæſar a militibus dictus. Eodem modo P. Septimius Geta a militibus communi eorum conſenſu Cæſar renuntiatus, quamobrem numiſma quod exhibet D. Franciſc. de Champs, *in numiſm. ſelect.* & cujus interpretationem ibidem tradit Vir in hoc ſtudiorum genere florentiſſimus D. Vaillant, in ejus memoriam Severus pater cudi curavit, in cujus una parte Geta puer adhuc nudo capite Cæſaris titulo inſignis exhibetur, ex altera parte Dea Concordia ornata ſtola, ut matrona Romana ſtans, dextra ſignum militare apprehendit, duobus aliis ante eam ſtantibus, & tribus pone, cohortium & legionum ſymbolis, cum lemmate CONCORDIA MILITUM, ad indicandum inquit, Getam filium non a ſe Cæſarem fuiſſe

fuisse appellatum, sed a militibus communi eorum consensu renuntiatum. Quippe observandum sæpius Cæsares ab ipso imperatore patre renuntiatos, sed ut ejusmodi electio firma esset, ratam eam habere solebat Senatus, & hac non subsecuta, non habebatur tanquam legitimus successor imperii, quamobrem vel Senatus vel miles interveniebat aliquando, & imperium non in Cæsarem tanquam designatum imperii heredem, sed in eum, quem ipsi probabant, cum imperio & Cæsaris & Imperatoris ac Augusti dignitatem conferebat, ut supr. de Maxentio annotavimus. Atque notandum quod sæpius Cæsares a patre dicti vocabantur, qui illam appellationem a Senatu interveniente commendatione Cæsaris Augusti patris viventis, acceperant, ut probant ea quæ paulo ante annotavimus, & Trajani a Nerva adoptio

optio facta, qua in familiam adsciscebatur, nomenque Nervæ assumendi facultatem nanciscebatur, unde in Trajani nummis NERVA. CÆSAR. NERVÆ. AUG. F. TRAJANUS. In Senatu vero Cæsarem ab Imp. Nerva designatum testatur, Dion. Xiphil. in Nerva. Eodem sensu Imperatoriis nominibus Tiberium Neronem & Claudium Drusum privignos auxisse Augustus apud Tacitum dicitur, cum ex Senatus decreto iisdem nominibus augendos curaverit. Quasi ipse fecisset, quod ex Senatus decreto factum. Si Cæsaris dignitas a Populo, Senatu, vel militibus aliquando conferebatur, multo magis Augusti nomen & titulum, utpote cum summo imperio conjunctum, a populo vel Senatu seu exercitu conferri moris fuisse dicendum, qui aliquando vel unum vel plures suo pro arbitrio Imperatores seu Augustos dixe-

runt, ut perſpicimus ex Hiſtoriis, & ſup. a nobis oſtenſum. Itaque veriſſimum quod nec hæreditarium imperium Romanum quaſi patrimoniale, nec ejus transferendi arbitrium penes ſingulos Imperatores fuiſſe & eligendi ſibi ſucceſſorem facultatem habuiſſe, niſi vi & armis uſurpatam & ad evitandum majus malum a populo & Senatu quandoque tacite comprobatam. Quemadmodum exempla a nobis adducta docent. Verum Auguſti cognomen hereditarium fuiſſe & propterea illud communicaſſe teſtamento ſuo Auguſtum tam Tiberio quam Liviæ ex Tacito perſpicimus. *Heredes inſtituit primos, Tiberium ex parte dimidia & ſextante, Liviam ex parte tertia, quos & ferre nomen ſuum juſſit.* Et Tacit. 1. *annal. Nihil primo Senatus die agi paſſus niſi de ſupremis Auguſti. Cujus teſtamento inlatum*

latum per Virgines Vestæ, Tiberium & Liviam heredes habuit, Livia in familiam Juliam nomenque Augustæ adsumebatur. Inficias iri nequit Augustum nomen hoc, tum & Imperatoriam majestatem hereditariam voluisse efficere, atque de illa disponendi quasi de bonis propriis, sibi arrogasse facultatem, verum an jure id fecerit indagandum. Et dicendum videtur per adoptionem in familiam & nomen Juliæ potuisse adsciri cum Liviam tum Tiberium, in Augustæ vel Augusti nomen jure adsumi non poterant, quia cognomen hoc amplissimum honoris causa ipsi a Senatu datum, quamobrem honorificum hoc nomen Senatui reddendum potius, qui suo ex arbitrio principi bene merenti conferret, ut in creando principe postea solenne fuit, quam illud quasi privata autoritate communicare invito Sena-

tu heredibus teftamento fcriptis. Quamobrem videtur Tiberius in urbe hoc cognomento abftinuiffe, vel faltem raro fuiffe ufus. Quippe ut inquit Suet. *Ac ne Augufti quidem nomen, quanquam hereditarium, ullis, nifi ad reges & dynaftas, epiftolis adjecit.* Nec puto alio fenfu a Suetonio hoc nomen hereditarium dici, quam quod eodem modo, quo de bonis fuis, ita etiam de hoc nomine teftamento caviffet, ut ad heredes fcriptos tranfiret. Si autem hereditarium Romanum non fuiffe imperium conftet ex illis, quæ ex veterum monumentis delibavimus, nulla fane ratione adftrui poteft eorum opinio, qui vel fub Floriano & Probo, vel pofterioribus temporibus divifum imperium in Orientale & Occidentale fuiffe ftatuunt, ita ut in tot partes divulfum, alteri illud, alteri hoc cederet tanquam proprium patrimonium, de quo pro lubitu

bitu quisque diſponere potuerit & ad ſuos transferre heredes proximos, ut dictum a nobis, ubi de imperii inter Conſtantini filios diviſione ſermonem habuimus. Non eo inficias, poſtea Valentianum cum fratre Valente Oriente Occidenteque diviſo, hunc ſibi retinuiſſe, illi ſocio imperii facto Orientem conceſſiſſe, & militum etiam copias cum eo partitum, Marcell. *lib.* 26. Verum ſibi ſemper tanquam ſui heredes ſuccedebant Auguſti in commune regnum, diviſum quoad adminiſtrationem. Quamobrem non tam diviſum imperium, quam exercitium & dignitas Impetatoria communicata pluribus. Poſt paucorum annorum decurſum ad ſolum Theodoſium univerſum rediit imperium, qui & ipſe iterum illud diviſit ſuisque filiis aſſignavit partes. Arcadio Orientem, Honorio Occidentem relinquens, cuncta ta-

men communi nomine velut unum esset imperium administrabant. Leges conjunctim promulgarunt, arma conjunxerunt, ac simul consules crearunt, quorum alter Romæ, alter Constantinopoli residebat, ut duo dimidia conjuncta viderentur imperia, Pancirol. *notit. imp. Occid.* Ob duplicem vero administrationem magisttatus geminari oportuit. Qui similes fere & iidem utrobique creabantur. Quoties vero imperium in unum coalescebat, eodem Romano nomine veniebat. Inficiari tamen non possum post Arcadii & Honorii ætatem multum Occidentis imperii detractum majestati, quo Constantinopoli Romam mittebantur Imperatores Occidentis. Quamobrem Sydonius *carm.* 2.

Salve sceptrorum columen, regina Orientis,
Orbis Roma tui, rerum mihi principe misso.

Jam

Jam non Evo ſolum veneranda
Quirini
Imperii ſedes, ſed plus pretioſa
quod extas
Imperii genetrix.

Quoniam Romani Imperatores creabantur ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis, Roma ait *carm.* 7.

—— *Excuſſo populi jura atque*
Senatus
Quod timui incurri, ſum tota in
Principe, tota
Principis. Et fio lacerum de Cæ-
ſare regnum
Quæ quondam regina fui.

Atque continuata eſt hæc diviſio uſque ad Valentianum 3. & Martianum, ſub quibus Impp. Hunni, Gothi, Wandali aliæque nationes Barbaræ imperium occidentale invaſerunt & quaſi inundarunt 4. & 5. ſeculo, atque imperium tunc temporis miſere eſt dilaceratum, diſcerptumque, imo funditus deletum

detur, extincto fere populo, formaque non solum reginimis accidentali, sed essentiali corporis mutata. *Eo imperante Occidentale imperium, quod desidere sub Honorio cœperat, labi, ut dixi ab initio, cæpit.* inquit Sig. Hist. *de Occident. imp. lib.* 13. *in fin.* Et idem *lib.* 14. *princ. Valentianum inde Imperatores illi per tempora exceperunt, quibus dominantibus fœda ac miserabilis ipsa demum Occidentalis imperii labes est subsecuta. Hi sunt enim qui ipsas prorsus Occidentis provincias amiserunt; hi sunt qui Romam iterum, atque iterum a Barbaris captam, atque incensam viderunt: hi qui Italiæ dominatione exuti nomen, gloriamque Romanam funditus everterunt; hi denique, qui clarissimum imperii Romani lumen, atque inveteratam populis nobilissimæ gentis autoritatem penitus extinxerunt. Nam*

Bar-

Barbaris jam late omnia ditione, libidineque tenentibus, non ſolum antiqua imperii majeſtas, ſed vetus etiam literarum, atque ingenii dignitas evanuit. Sic Rhadagiſus Gothorum Princeps cum quadragintis millibus, teſte Zoſimo, vel ducentis ut tradit Grotius totam inundavit Italiam An. 405. omniaque longe lateque vaſtavit, cui ſeſe imparem ſentiens Honorius; alios populos Barbaros in belli ſocietatem ſollicitare neceſſum habuit. Sed antequam ad manus ventum panico terrore correptus, ſeſe in fugam conjecit. Poſt illum Alaricus ejusdem nationis Rex, ad quem mortuo Rhadagiſo, imperium deſcenderat, Romam expugnavit. Quamobrem Claud. *de bello Getico.*

Rumpe omnes Alarice moras: hoc impiger anno,
Alpibus Italiæ ruptis, penetrabis ad urbem.

Ab Ataulpho demum, cum quo Alaricus affinitatem contraxerat A. D. 412. devaſtata & depopulata, Oroſ. 7. *c*. 39. Jornand. Atque poſtmodum imperium in varias partes diviſum & partitum per horum Barbarorum incurſiones & devaſtationes, ita ut ſingulæ fere regiones & provinciæ ſuos habuerint Reges ac Principes, quibus paruerunt. Britanni quippe Vortimerum, Saxones Hengiſtum, Franci Childericum, Burgundiones Guntherum, Viſigothi Theodoricum, Vandali Genſericum, Alemanni Sumanum, Oſtrogothi Theodomirum, Græci Martianum, & ſic etiam alii populi ſuos habuere reges. Quod deinceps Carolus M. devictis Longobardis, ſibi jure belli imperium Romanum vindicaverit, inficias iri nequit, ſed titulo & nomine tenus. Populus Romanus idem ſitu ſcil. & loco, non genere, non moribus vel legibus (Gothicis enim Alarici legibus abrogatum erat jus Ro-

manum & capite ſancitum ne quis leges illas coram judice alleget) potentia aut ſplendore, non eadem magiſtratuum nomina nec functiones civiles. Corpore diſſoluto, cætera quoque collapſa, vi diſtracta corporis ratione coire non potuit. Non denegamus Carolo M. titulum, nomen imperatoris, ac majeſtatem Auguſtalem, nec etiam Imperatori optimo, qui ſummæ rerum præeſt hodie jure competere, verum nec translatione, nec ſucceſſionis jure imperium Romanum in Carolum conferri potuiſſe ſtatuimus. Quoniam non amplius integrum erat corpus ſublata conſociatione & communitate ejuſdem imperii & juris. Debellatis a Carolo M. Longobardis, nullum veteris reipub. fere apparebat veſtigium, ſublata corporis ſpecie, diſſolutis omnibus ejus partibus atque diſtractis a ſe invicem, deſinit eſſe,
 interiit

teriit fimul imperium, evanuit majeftas. Titulum tamen affumere voluntatis eft, atque merito illud fibi vindicavit Carolus, redacta Italia a Longobardis occupata. Nec opus itaque ut transactionem Caroli cum Irene, a Nicephoro ejus fucceffore ratam habitam, tanquam modum & titulum translati in Carolum M. imperii adducamus, quoniam ex antedictis perfpicimus imperium Romanum a Conftantino non potuiffe divelli a corpore, id eft, populo Romano, & ad aliam gentem vel nationem transferri, cum habendi imperii modum & caufam non potuerint mutare imperatores, ut ait Grotius. Nemo plus juris in alium transferre poteft, quam ipfe habet, atqui deleto per invafionem Barbarorum Romano imperio, non potuit transferri, quod non erat in rerum natura. Ejusmodi transactionis, qua Carolo ceffit imperium

Occi-

Occidentis Irenes, tum poſtea ſucceſſor Nicephorus, Irene in inſulam Lesbum relegata, regale ſolium conſcendens, mentionem apud nonnullos factam invenio Authores, alii cum Nicephoro ejusmodi fœdus iniiſſe Carolum accepta corona tradunt. Cum Irene transegiſſe tradit Plat. & Egnat. *lib.* 3. *Roman. princ.* Et poſtea cum Nicephoro, ut alter Occidentis, alter Orientis principatum obtineret, nec hujus in illius ditiones juris quicquam remaneret tradit Sabell. 8. Ejusdem fœderis, meminit Pius Papa *comment. lib.* 3. Sonar. Ann. *tom.* 3. Sed tradit Onuphrius Panvinus *de Com. Imp. part.* 1. *cap.* 4. per conventionem inter Carolum M. & Nicephorum de finibus imperii determinandis, titulum imperatoris tranſiiſſe; quem, pulſis Longobardis Italia, ſibi vindicare potuiſſe jam diximus, ita enim inquit, *Haud ita multo poſt,*

Irene Augusta imperio deturbata, atque in insulam relegata, Nicephorus Orientis imperium occupavit, inter quem & Carolum Magnum amicitia & pax his legibus & conditionibus facta, ut ambo fratres, ambo Imperatores, more majorum ambo Augusti dicerentur: Occidentis quidem Carolus Magnus, Orientis vero Nicephorus: utriusque imperii terminus esset urbs libera Venetorum. Vid. & Blondus Flavius *de Gestis Venetor.* Cuspian. *in vita Carol. Magn.* Quemadmodum enim anima e corpore suo non potest transire in corpus alterum, nisi dissoluto toto, quod ex partibus suis necessariis compositum repræsentat quod est, nec etiam qualitates corporis vel cujusdam rei propriæ, propter certam & peculiarem mutuam convenientiam alteri communicari nequeunt; ita nec imperium Romanum

num quatenus & esset ac viveret in populo, in illa societate cujus Romulus fundamenta jecerat, coalitionem perfecerat, prius ab eo accepto imperio, & regia majestate ornatus, a Constantino divelli potuit ab eodem corpore, & in Græciam transferri salva rep. Potuisset populus conjunctim demigrare, & imperii Romani sedem Constantinopolim transferre, tum etiam urbi conditoris sui nomen imponere, ut sup. annotavimus, & idem corpus manere. Verum invito populo aliud rerum & imperii caput constitui, unde jussa & leges dimanarent, tanquam a populo principe, quibus obtemperare necessum haberet etiam ipsa Roma, sive populus Romanus, quasi pars vel provincia subjecta imperio Orientis, non potuit, nisi cum corporis interitu. Quo sublato non Romanum magis dici potest imperium

rium, quam imperium Assyriorum, Medorum, & Persarum, eodem nomine appellari potuit, postquam subacti a Romanis, alieno imperio paruerunt. Aut fœderatum nostrum Belgium Hispanicæ ditionis esse dici potest, postquam nosmetipsos in libertatem vindicavimus, nostrique juris facti, proprium caput, propriumque habentes imperium, proprio etiam nomine *Fœderati Belgii*, a cæteris provinciis Hispaniarum Regis imperio subjectis distinguimur, tanquam corpus jam separatum, & ex septem partibus, quarum singulæ provinciæ integram partem efficiunt, compositum, proprias suas leges habens, proprio jure utens, ad regiminis formam accommodato. Huic etiam accedit, ut dicere incepimus, quod ejusmodi imperii translatio non dependet a facultate & arbitrio Principis, sed

popu-

populi, cui acceptum ferre debet non ipsum imperium, sed ejus exercitium, quod quidem Imperatoris personæ cohæret, ita ut ubi Imperator est, ibidem quoque sit imperium, verum non imperii corpus in quo radicaliter consistit. Quemadmodum itaque jure non potuit privative imperium Romanum transferri in Græciam, ita dici non potest transiisse ad Germanos, consensu & ratihabitione vel Irenis, vel Nicephori ejus successoris interveniente. Quippe, ut dicere incepimus, quod non resedit penes antecessores vel jure dominii, vel concessionis, non potuit transferri in successores. Quamobrem si nullum possessionis suæ Imperatores possent allegare titulum, quam transactionem & consensum Nicephori, imperium Romanum in Carolum transferentis, admodum lubrico niteretur fundamento imperatoria

toria dignitas atque majeftas. Præterquam quod ea tempeftate cum fafces imperii Orientis arripuiffet Nicephorus, imperium Romanum jam devaftatum, & deletum a populis iftis Barbaris, ita ut nullum prifci imperii & veteris reip. veftigium reliquum effet. Corpore enim fublato & nomen & cetera, quæ cum eo infeparabiliter conjuncta erant, interiêre. Si occidit gens Romana, fi deleta refp. fi urbs ipfa ejus domicilium diruta, quod vix aliter contingere poteft, nifi cum interitu vel difperfione incolarum, diffolutione corporis in quo eft imperium, quo nihil verius, fequitur *populum Romanum* non eundem effe qui olim fuit. Quamobrem perperam ftatuit Grotius *Quæ olim potuit facere populus antequam Imperatores regnarent Romani, idem jus habuiffe faciendi ut quisque Imperator mortuus erat, alio nondum exi-*

existente. Quamobrem cum Byſantini Quirites fœminæ Irenes ſubiiſſent Imperium, merito, inquit, *populus Romanus illam conceſſionem ſive tacitam revocavit, & per ſe Imperatorem elegit, ac voce primi civis, id eſt Epiſcopi ſui, pronuntiavit. Fuit autem hæc electio perſonalis in Carolum Magnum & quosdam ejus ſucceſſores. Qui ipſi jus imperii quod habebant in Francos, ut & in Longobardos a jure imperii in Romanos, ut nova ex cauſa quæſito, ſollicite diſtinxerunt.* Populum vero Romanum eundem dici non poſſe, qui olim fuit, ex iis quæ diſputavimus clare ſatis conſtare mihi perſuadeo, ac proinde cum ejusdem interitu concidiſſe imperium Romanum negari nequit, univerſa fere Italia devicta Longobardorum armis, quam, denuo pulſis, reliqui Imperatores Conſtantinopolitani ſui fecerunt

runt plane juris, quorum imperio quum graviter premerentur Itali, tum etiam Romani, a territorio & urbis quam inhabitabant, domicilio, nomen habentes, non quaſi veteris populi propago eſſet, niſi forte pro exigua admodum parte(diu enim obſoleverant leges, quibus cum ſervis, Latinis, peregrinis, connubium non eſſe ſancitum erat. Ulp. *fragm. tit.* 5. *l.* 3. *Cod. de inc. nupt.*)primum ad Pepinum patrem Caroli M. detulerunt, mox etiam Carolum ſollicitarunt, ut vellet ſe in priſtinam vindicare libertatem, & remp. prope perditam reſtituere, ne Italorum nomen penitus deleri & eradicari atque exterminari ex ipſa Italia Italos, qui reſtabant, pateretur. Quod Carolus ita præſtitit, ut Italia fere omnis, pulſis Longobardis, ipſorumque capto rege Deſiderio, cujus ipſe filiam in matrimonium acceperat

ceperat, in Francorum poteſtatem devenerit. Alii tradunt, quod veroſimile, ab ipſo Pontifice, quem infeſtabat maxime Rex Longobardorum, Carolum imploratum in Italiam properaſſe, atque ipſum Deſiderium captum in Galliam abduxiſſe *ann.* 774. qua ratione finem Longobardorum regno impoſuit, quod duraverat *an.* 206. P. Diaconus *de Geſtis Longob.* & Acciajolus *in Carolo M.* Sigon. *de Regno Italiæ lib.* 3. 4. Atque ita non electione, ſed belli jure imperium in Carolum translatum. Non mirum quod Italiæ Principes, quorum multi ex ipſa Longobardorum gente trahebant originem, ſeſe ſubmiſerint armis victricibus Caroli, eumque tanquam Romanorum Imperatorem ſalutarint, neceſſitati cedere coacti. Sed in quo ſtatu tum res Romana, populusque fuerit, ſubacta a Longobardis Italia, perſpici poteſt

test ex iis quæ a Gregorio in expositione Ezechielis, descripta legimus. Cum in hæc verba prorumpit: *Ubique luctus adspicimus, undique gemitus, destructæ urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est. Nullis in agris agricola, pene nullus in urbibus habitator remansit. Et tamen parvæ humani generis reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur. Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Ipsam autem, quæ aliquando mundi domina videbatur, Romam conspicimus immensis doloribus multipliciter attritam, desolatione civium, impressione hostium, frequentia minarum, jam de illa omnes potentes ablati sunt. Ubi enim Senatus, ubi jam populus, omnis in eo dignitatum ordo extinctus, & tamen nos ipsos paucos*

qui

qui remansimus , adhuc quotidie gladii, quotidie innumeræ tribulationes premunt, & postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Ubinam terrarum populus Romanus, ubi imperium, corpore extincto, num in urbis ædificiis vel potius ruinis civitas consistit, ubi Senatus autoritas, populi majestas, distracta vi civitate & alieno imperio subacta ? Quo jure imperium Romanum in Carolum conferri potuit, imperio suo orbata, si qua civium Romanorum exigua pars reliqua, admixta Barbaris, & subjecta eorum imperio. Quid potuisset transferri juris & imperii in ea, quæ parta jure belli, quis primus civis, ubi nullus civium ordo, & quid deferret civitatis nomine, ubi nullum penes populum imperium, & si quædam imperii umbra penes tunc temporis Italiæ ac Romanæ civitatis

tatis incolas reliqua , non Romanum merebatur dici imperium, corpore vetere extincto , imperii fonte ac urbe ejusdem domicilio toties diruta ac devastata, quod contingere nequit nisi cum dispersione incolarum , atque societatis distractione. Et licet omnia in eodem fuissent Romæ statu , ita ut eodem corpore subsistente , idem adhuc imperium continuare videretur,& pulsis Barbaris , quasi in integrum restituta esset civitas , eædem leges , iidem magistratus , ejusdem imperii, & juris communis usus civi cum cive intercedens , veluti jure postliminii repubI. iterum reviviscere cœpisset , attamen nec populi nec Senatus electione nec confirmatione voce primi civis pronuntiata imperium Carolum obtinuisse, sed jure belli , suis armis , & proinde suo jure illud sibi quæsivisse & vindicasse dicendum. Quamvis

vis tamen ſalvo adhuc corpore imperii, potuiſſet tanquam Imperator Romanus aut Rex Italiæ populi nomine veteres poſſeſſiones, provincias, regiones, & quæcunque populi Romani fuerunt, neque pactionibus, aut derelicti occupatione, aut victoriæ jure in aliorum populorum imperium conceſſerunt, vindicare, atque hac ratione jura & majeſtas imperii ſeſe non latius extendit, quam victricia circumferuntur arma, atque in eas ſibi victor regiones & provincias imperium vindicat, quas jure belli tenet ac ditioni ſuæ adjecit, & proinde eas proprio, non populi nomine poſſidet, de quibus pro lubitu diſponere poteſt, tanquam de proprio patrimonio, neque conſenſu vel approbatione populi interveniente. Quod ſecus quod ad illa regna, quæ electione vel ſucceſſione deferuntur; quemadmodum populi nomine im-

 perium

perium exercet, ita & eodem titulo ſub ſe habet quæcunque ſunt populi, cujus Princeps eſt, ſive, quod idem, primus civis. Extincto vero populo & imperium & jura imperii evaneſcunt, poſſeſſiones, provinciæ, tanquam domino carentes, primo occupanti & victori cedunt. Ex quibus perſpicimus admodum a vero aberrare doctiſſimum Grotium, dum ſtatuit Carolum Magnum acceptum ferre oportere populo Romano imperium. Ipſe imperii vindex & reſtaurator Carolus non veteris Romani, ſed in veteres poſſeſſiones, Italiæ regnum, & proinde Romanam urbem vel ejus rudera, ejusque incolas cujuscunque generis imperium ſibi quæſivit. Neque populum ſibi illud jus arripere voluiſſe vel ex ipſa fauſta ejusdem acclamatione, qua excepit principem victorem, patet. *Carolo Auguſto a Deo coronato,*

magno

magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. Acquisivit sibi Romanum imperium eadem ratione, qua Nimrodus Babylonem, Alexander Græciam. Quamobrem apud Paul. Æmyl. *de reb. Gestis Franc. lib.* 3. nobis occurrunt quæ sequuntur. *Solium imperii velut a numine insessum, quasi numine offerente, Regi Franco dandum, summis in religionem meritis id debitum: eum victoriarum gradibus ad id culmen conscendisse, ut summus Regum summum rerum humanarum titulum obtineat.* Ostendebat populus fausta acclamatione gratum sibi regem vel imperatorem, verum titulum nullum possessionis deferebat, quasi sine ejusmodi consensu sive approbatione, per acclamationem testata, imperatoris Romani titulum sibi non potuisset adscribere Carolus, nisi quatenus tanquam novi corporis ipse

auctor, voluit hunc sibi titulum, quem suo jure sibi potuisset vindicare, a populo & Pontifice sibi cum aliqua solennitate deferri, quasi vetus adhuc subsisteret imperii majestas. Quamobrem Sleidan. *Romanum igitur imperium, quod est ad Occidentem solem, varie dilaceratum, præsertim ab eo tempore, postquam Cæsares domicilium atque sedem Constantinopolim sibi delegerunt, a Carolo Cæsare redintegratum est, ac veluti novum corpus colorem atque speciem resumpsit, tot tantisque Provinciis, ad unius principatum redactis.* Quamobrem & successores Caroli inconsulto populo Romano, & inconsulto Papa ipsi per se & inter se ita comparaverunt, ut penes alium Galliæ, penes alium Germaniæ & Italiæ regnum cum nomine imperii Romani esset, ut annotavit doctiss. Gronov. *in notis*

suis

ſuis. Mirari itaque ſatis nequeo Pontificis Romani arrogantiam,qui ſibi ex proprio capite non ſolum approbationem, ſed etiam deferendi Romani imperii facultatem ac poteſtatem vindicat, utpote cujus poteſtas, ſi haberet aliquam, (nullam autem, niſi uſurpatam,ipſi concedimus) neutiquam confundi debet, cum ſeculari poteſtate, conſiſtens in adminiſtranda ſocietate civili, quatenus ab ejuſdem conſervatione pendet vitæ hujus tranſigendæ beatitudo. Præterquam quod nulla in repub. ut diximus, poteſtas Eccleſiaſtica independens, ſed pars imperii civilis, quamvis diverſum ejus objectum & finis, ac ſcopus ad quem collimat, demandata quibusdam perſonis ſacris curandis a ſummo imperante deſtinatis.Qua igitur ratione in alios conferre poteſt imperium, qui nec ipſe illud habet, atque etiamſi habe-

ret jus aliquod, alii acceptum ferre deberet, neque etiam concerneret civilem administrationem. Atque cum ipse civis atque subjectus & membrum societatis, summum imperium privata autoritate teneret, quare deferendi illud in alium sibi facultatem arrogare non posset, nisi ab universo populo se accepisse demonstraret. Verum diximus atque etiam probasse me spero corpus illud, in quo imperium Romanum, tanquam suo subjecto, erat ac vivebat, jam dudum interiisse, ita ut nulla ejus species reliqua, & proinde cum eo imperium evanuisse: deinde Carolum Magnum jure belli sibi titulum, quo Imperator vocatur, quæsivisse. Ab usurpatione itaque derivanda ampla, quam exercet Pontifex, potestas, cujus ab Imperatorum & Principum consensu & benevolentia pendet continuatio. Quamobrem vana & ridicula quæ olim jactavit

Adria-

Adrianus Pontifex in ſua ad Fredericum Imperatorem Romanum Epiſtola 1. *Romanum imperium a Græcis translatum eſſe ad Alemannos, ut Rex Teutonicorum non appellaretur Imperator, antequam ab Apoſtolico coronaretur. Ante coronationem Rex, poſt Imperator. Unde igitur habet imperium, niſi a nobis? ex electione Principum habet nomen Regis: ex conſecratione noſtra habet nomen Imperatoris & Auguſti & Cæſaris, ergo per nos imperat. Recolite antiqua, Zacharias promovit Carolum, fecit ei grande nomen, ut eſſet Imperator & Advocatus Sedis Apoſtolicæ, ut Romano Epiſcopo per eum Apulia eſſet pacata & ſubjecta, quæ noſtra cum urbe Romana eſt, non Imperatoris Romæ, noſtra ſedes eſt, Imperatoris eſt Aquis in Arduenna, quæ eſt Sylva Galliæ, Imperator quod ha-*

bet, totum habet a nobis, ficut Zacharias tranftulit imperium a Græcis ad Teutonicos: ita nos poffumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in poteftate noftra eft, ut demus illud cui volumus: propterea conftituti a Deo fuper gentes & regna, ut deftruamus, et evellamus, et ædificemus, et plantemus. Miror Reges atque Principes qui Romanam religionem profitentur adeo æquo animo perferre poffe ufurpatam hanc poteftatem, omni jufto titulo deftitutam, fuosque fines tam late propagare permittant Pontificibus, ut quicquid in orbe Romano eft, fuo parere imperio tanquam fupremo mundi Domino prætendere non erubefcant. Hinc Dei nomen fibi vindicavit Gratianus decret. *lib.* 1. *dift.* 46. *can.* 7. Quemadmodum unus Deus in Cœlis, fic folus Deus dicitur in terris, fupra omnia humana elevatus

ad

ad divinitatem ipſam, neque poſt Deum quicquam habens ſupra ſe. Quamobrem olim poëtæ cecinêre de *Sixto* 4.

Oraculo vocis mundi moderaris habenas,
Et merito in terris, crederis eſſe Deus.

Idem de *Alexand.* 6.

Cæſare magna fuit, nunc Roma eſt maxima Sextus
Regnat Alexander, ille vir, iſte Deus.

Sacrilegii itaque inſtar habendum, diſputare de poteſtate & imperio Pontificis. Spero tamen mihi condonaturum, quod in eam adductum me opinionem fateri neceſſum habeam, nullum ipſum poſſe poteſtatis ſuæ allegare titulum, niſi meram uſurpationem. Quamobrem ad interrogationem ſuæ poſſeſſionis reſponſurus ſe poſſidere, quia poſſidet, i. e. malæ fidei eſſe poſſeſſorem

tum urbis, tum imperii. Quo enim jure prætendis penes te reſidere jus transferendi imperii Romani, quomodo ad te devolutum, quod deletum, extinctum, & in rerum natura eſſe deſinit, ubinam populus Romanus, ubi Roma urbium Princeps, in qua principatus fortuna erat, fons imperii, ubi corpus, in quo radicaliter fundatum imperium? Evanuerunt omnia, nil niſi nomen reſtat, locus, & ſitus conſpicitur, cum gente ipſa urbs deleta, nil niſi rudera veteris urbis imaginem quandam referunt. Ubi magiſtratus, ubi faſces imperii, ubi populi majeſtas, Senatus autoritas, ubi leges, & jura, quibus fundata reſp. imperii majeſtas conſervata? Quamobrem non abs ratione Coſtalius JCtus fatetur ſe neſcire *An ſit & ubinam ſit Romanum imperium*. Quod & Sleidanum in hæc verba prorumpere effecit.

ſecit. *Quod quidem imperium Romanum occidit & diſſipatum eſt, ut tria illa quæ ordine præceſſerunt ipſum: nam ad Orientem & Occidentem ſolem latiſſime regnavit, quidquid in Aſia tenuit, & quicquid in Africa, totum eſt amiſſum. Maximam Europæ & fertiliſſimam partem poſſedit; nunc autem ex illa veluti mole creverunt alia multa regna, prorſus ab ipſo corpore ſeparata, & nihil omnino reliquum eſt, præter titulum & nomen quod adhuc Germania retinet, ad quam poſtremo eſt delata poteſtas creandi Cæſares: qui tamen adeo nulla ex parte conferri poteſt cum veteribus illis Romanorum Imperatoribus, ut ne ſedem quidem ipſam Cæſarum avitam & priſcum domicilium urbem Romam teneat.* Cui convenit Beroaldi reſponſio, qui interrogatus, quid in cauſa fuiſſet, cur in commentariis

suis ad Apulejum, Imperatorem Germanorum Maximilianum dixisset, rescripsit, *Appellando Maximilianum Imperatorem Germanorum, non Romanorum, secutus sum rem, non verba. Censeo quoque honorificentius esse Imperatorem Germanorum, quam Romanorum, cum hoc sæculo Romana nobilitas decoxerit, & fece & quisquiliis superstitibus; Germania vero sit viris, opibus ac magnitudine florentissima. Præterea vero vocare Regem Romanorum eum, qui Germanis imperet, credidi convenire ambitiosis, non simplicibus scriptoribus. Habeo quoque persuasissimum sacratissimum Maximilianum non minus libenter audire, ut dicatur Germanorum Imperator, quam Rex Romanorum, cum alterum re ipsa fulciatur; alterum titulo tenus blandiatur.* Quamobrem Sleidan. *Hæc usque veluti præ-*

præfatus de Germanis deque Carolo, paucis percurram, deinceps & ostendam, quemadmodum hæc imperii Romani pars, quæ est ad Occidentem solem, a Carolo vix demum restituta & recollecta rursus interierit, & in varias divisa provincias facta sit multorum ditionis, qui veluti peculium suum illas possident, nec fontem ipsum, unde manarunt, agnoscunt, ita quidem ut illud augustum & tantopere celebratum imperii Romani fastigium, nihil aliud sit hodierno die, quam tenuis quædam magni corporis umbra, postquam ex tam immensa mole redactum est ad unicam Europæ particulam Germaniam. Nam quemadmodum in hoc mundo nihil stabile, nihilque quod mutari non possit, inveniatur, sic imperia quoque magna Deus pro nutu & voluntate, (suæ divinitatis arcanis causam solum

reservans) modo dat, modo aufert: regna & principatus variis casibus de uno in alium transfert, utiturque pro infinita sua sapientia, bonitate & justitia variis viis ad præmia distribuenda & iræ suæ ultionem immittendam. Quod in tanta hujus imperii mutatione videre licet. Quæ enim harum rerum fortunæ (si loqui sic mihi permissum) major instabilitas, vel quod divinæ iræ manifestius signum, quam quod tanta imperii magnitudo & majestas evanuerit: tot opes & divitiæ in unum cumulatæ alio translatæ: tantus urbis Romæ splendor conciderit, tot triumphi, tot legiones & tot exercitus perierint? periit quoque Romana potestas: unumque quondam imperii corpus, dissectis & protractis hinc inde membris misere lacerum pro dolor conspicimus inquit J. B. Lambertinus Dominus

de

de Crus-hoven *theatr. Reg.* Occidit itaque, concidit, evanuit cum vetus imperii corpus, toties direpta & devaſtata a Barbaris urbe, diſperſo populo & in captivitatem redacto, tum etiam novum formatum & reſtauratum armis a Carolo, ita ut hodie nil reſtet, niſi titulus & nudum nomen, ab urbis veteris potius reliquiis ſeu novæ inſtauratione, quam antiqui populi corpore ejusque propagine derivandum. Sed unde ad Papam illud transferendi imperii nomen ac titulum poteſtas pervenit. Sit domicilium ejus Roma, quemadmodum cæterorum civium, habitaculum quoque eſt, ubi lares ſuos ac penates conſtituerunt, quo titulo ſibi in urbem, in ſubjacentes quasdam regiones ſummum imperium vindicat, quo jure ſibi arrogat poteſtatem conferendi Imperatoris titulum in Regem Romanum, quaſi Imperator dici nequiret

ret ante coronationem a Pontifice factam, ita ut eo se non posset insignire, antequam a summo Pontifice ipsi delatus. Mera hæc est usurpatio, cui favere ex metu & vana quadam superstitione capti atq; decepti Principes nonnulli voluere, non omnes tamen. Diximus sup. Caroli posteros inconsulto & populo & Papa inter se convenisse, ut cum Germaniæ & Italiæ regno conjunctum maneret nomen imperii Romani, quod suis armis sibi quæsivit Carolus, & in posteros transmisit. Quamobrem teste Avent. *lib. 7. annal.* Cum Clemens 6. Pontifex postulasset, ne Ludovicus 4. Imp. antequam a se coronatus, titulo Imperatorio uteretur, Academia Parisiensis & Bononiensis hoc postulatum Pontificis iniquum & omni ratione a jure destitutum judicarunt. Non fugit me Baronium, Bellarminum aliosque Pontificiæ maje-

statis

ſtatis ac poteſtatis egregios adulatores objicere, moris fuiſſe atq;etiam ab immemoriali tempore obtinuiſſe, ut Imperatores Orientis a Patriarchis, Occidentis a Pontifice inaugurarentur & coronarentur, atque hac ratione in Sede Imperatoria collocarentur, quemadmodum *Leo III.* ſucceſſor Adriani Carolum M. promovit, ejusque capiti coronam impoſuit, atque eum Imperatorem Romanum ſubſecuta populi fauſta acclamatione pronunciavit. Verum & hunc ipſum titulum defugere conatus fuit Imperator, re ipſa contentus; ſcribit enim Eginhard. ad oblatum Auguſti nomen ita exhorruiſſe, ut in hæc verba prorumperet, *ſe, ſi id præſcire potuiſſet tempore eo die ingredi noluiſſe.* Quia fortaſſe exoſum nomen Imperatoris eo tempore, atque olim nomen Regis. Coronam quidem impoſuit Leo Pontifex, imperium

rium non dedit: oblatam a populo vel ejus nomine Pontifice dignitatem accepit, non quasi ipsi aliquid novi deferretur, sed ad captandam benevolentiam vulgi spernere non voluit, quod veluti grati animi testimonium offerebatur. Hinc olim Fredericus I. Adriano Pontifici, qui Imperium tanquam beneficium Imperatorem a sua manu accepisse scripsisset, respondit, *Se coronam nemini acceptam referre, excepto Deo & Principibus Germaniæ.* Et Fredericus II. *ad Innocentium, Papam quidem in spiritualibus habere potestatem, ut peccatores quoslibet possit absolvere & ligare, nusquam tamen legi, quod Papa divina vel humana lege concedente posset transferre pro libitu imperium.* Consecratio & coronatio adhiberi possunt, nulla autem ea adhibendi necessitas. Non tam defertur per coronationem

nem imperium , quam quidem eo declaratur & deſignatur translatum per electionem id eſſe in eum , cui imponitur corona. Quamobrem non eſt de eſſentia acquirendi imperii, ſed acquiſiti teſtimonium. Vel ut inquit Jean Sueur *Hiſt. de l'Egliſe & de l'Empire An.* 800. *de N. S. Que les Empereurs de Conſtantinople eſtoient ſouvent couronné & ſacré par le Patriarche de la ville, de là il ne s'enſuivoit nullement, que l'Empereur tinſt ſa puiſſance du Patriarche, encor moins que le Patriarche fuſt ſon ſouverain. Si nos Rois, & d'autres Rois Chrêtiens ſont couronnés & ſacrés par la main de quelque notable Prelat, il ne s'enſuit point du tout que leur autorité dependent du Prelat. C'eſt ſeulement une auguſte ceremonie qu'on obſerve avec de prieres publiques, pour obtenir la benediction du Dieu*

ſur

sur la personne & sur la domination du Souverain, qui est sacré, & pour le faire mieux reconnoistre, respecter & obeïr par son peuple. Bien loin que ce que Leon a couronné Charlemagne pour être Empereur, puisse donner de l'avantage au Pape, qu'au contraire cela s'assujettissoit avec son Siege & sa ville Rome à l'Empereur. De là vient, dit il, *que comme nous lisons dans la vie de Charlemagne publiée par Mr. Pithou, & dans les annales de Pepin & de Charles jusques à l'an* 80. *Charlemagne avant que de partir de Rome donna ordre aux affaires de la ville, du Pape & de toute l'Italie, non seulement aux publiques, mais aussi aux Ecclesiastiques & aux particulieres, et ne fit autre chose tout l'hyver.* Verum an non rationi repugnat, ut, qui ipse & civis ac subjectus imperii, quod Ro-

Romanum dicitur, illud conferat in ſuperiorem. Populus quidem inferior poſt translatum imperium, quatenus ſemetipſum ſponte ſubjecit imperio ejus, quem reipub. adminiſtrandæ præfecerunt, ſed quatenus eſt commune ſubjectum in quo imperium radicaliter eſt, tanquam ſuperior illud contulit in inferiorem, ſcil. membrum ejusdem ſocietatis, ſed per ſucceſſionem in locum univerſæ ſocietatis, cujus vicem & perſonam ſuſtinet, ſuperior factus & caput civitatis, cui cæteri obtemperare neceſſum habent. Papa autem ejusmodi imperii in ſe translationem factam, illudque in alterum deferendi vel a populo, vel ab eo, qui proprio jure ſibi in urbem Romanam eique adjacentes regiones imperium arripere poteſt, conceſſam poteſtatem, nunquam demonſtrabit. In populo Iſraelitico Propnetæ Reges inungebant,

nec

nec tamen a Prophetis translatum in Reges regnum exiſtimare licebit. Licet nonnulli Imperatores a Pontificibus nec conſecrati nec coronati fuerint, juſto tamen titulo tenuere imperium, & Imperatores appellati. Imperator enim dicitur imperium tenere a nemine, niſi immediate a Deo, interveniente tamen facto humano, id eſt, conſenſu vel approbatione eorum, penes quos radicaliter imperium hodie reſidere videtur, qui corpus Germaniæ repræſentant, ut ſunt Electores imperii. Itaque poſtquam aliquis electus Imperator ab Electoribus imperii vel majori parte eorundem, ſtatim ſola electione eſt verus Imperator nominandus & cenſendus. Ita ut ſola tantum electio ad ſubſtantiam Imperatoris pertineat, reliqua ad ſolennitatem, ut ſunt inunctio, conſecratio, coronatio. Adeoque Impe-

perator absque consecratione & coronatione Papæ sola electione omnia jura imperii consequi dicendus, quod ex constitutione Ludovici Bavari, quam refert Aventinus *Annal. lib.* 8. patet, quæ quamvis sat prolixa, attamen eam describere nobis placuit, ut cuique constet quantum juris reservatum Papæ ejusque successoribus. Verba ita sese habent. *Licet juris utriusque testimonio manifeste declaretur imperialem dignitatem & potestatem immediate in filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatorem & Reges mundi jura humano generi aperte tribuisse, atque Imperatorem ex sola electione eorum, ad quos pertinet, verum effici Imperatorem, nec alterius alicujus egere confirmatione seu appr batione, cum in terris quoad temporalia superiorem non habeat, sed eidem gentes subsint, & nationes:*

et

et ipse Dom. noster Christus mandarit, quæ sunt Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari reddenda, quia tamen nonnulli avaritiæ & ambitionis cæcitate ducti, divertentes a tramite recti sensus, in quædam iniqua & prava commenta & assertiones detestabiles prorumpunt, fallaciter asserentes Imperialem dignitatem & potestatem esse a Papa, electumque in Imperatorem non esse verum Imperatorem, nec Regem, nisi prius per Papam, sive Sedem Apostolicam confirmetur, approbetur, et coronetur: per hujusmodi pravas assertiones, et pestifera dogmata hostis antiquus movet lites, jurgia suscitat, et seditiones procurat ad tantum malum evitandum, de consilio et consensu Electorum et aliorum Principum imperii declaramus imperialem dignitatem et potestatem a solo Deo pendere: esseque tam de

jure,

jure, quam de consuetudine approbatum, ut, postquam aliquis eligitur in Imperatorem sive Regem ab his, quorum interest, statim ex sola electione sit verus Rex & Imperator Romanorum censendus, eidemque ab omnibus imperio subjectis sit obediendum. Quum administrandi jus cæteraque faciendi, quæ ad verum Imperatorem pertinent, plenariam habeat potestatem: nec Papæ sive Sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, autoritate consensuve indigeat. Et ea propter hæc in perpetuum valitura lege decernimus: ut electus in Imperatorem concorditer, vel a majori parte Electorum, ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis imperio debeat obediri: quum administrationem, & jurisdictio-

nem imperialem & imperialis dignitatis plenitudinem habeat: & ita habere, & obtinere ab omnibus cenſeatur & firmiter aſſeratur &c. Quamobrem recte Maximilianus I. teſte Bodino *de repub. lib. 2. cap. 6. Cum ad Ordines imperii orationem haberet, coronam imperialem a Romano Pontifice accipere minime neceſſarium ſibi videri dixit, cum imperii majeſtatem in ipſis Ordinibus ineſſe intelligeret.* Atque neminem fugere poteſt nec Ferdinandum, nec Maximilianum II nec Rudolphum II. nec Mathiam coronatos, attamen omnes & ſingulos ab omnibus, cum ſubjectis, tum etiam Regibus ac Principibus, Imperatores habitos. Sic Carolum V. quamvis a Clemente Pontifice An. 1530. Bononiæ coronatus fuerit, nihilominus electi Imperatoris titulo, tam poſt, quam ante coronationem Imperialem uſum, teſtatur

ſtatur Limn. *de jur. publ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. Atque affirmante Molinæo in *conſuet. Pariſ. tit.* 1. *de fieff. num.* 73. *fol.* 30. Omnes docti ita tenent, quod Rex vel Imperator etiam ante coronationem ſuam, omnem habet poteſtatem & adminiſtrationem. Atque ita etiam ab antiquo ſemper obtinuiſſe, ſolosque Advocatos conſiſtorii Papæ contrarium ſcribere teſtatur. *Quibus*, inquit, *nullo modo credendum eſt.* Idem jam ſe vidiſſe judicari & teneri per principes teſtatur Hoſtienſ. *in c. ſuper quibusdam v. ſign. Quod ſcil. Rex Romanorum poſt electionem concordem habet omnem poteſtatem, quam Imperator, & quod unctio nihil addit.* Hinc Fredericus ad imperii Principes ſcripſerat. *Cum per electionem Principum a ſolo Deo regnum & imperium noſtrum ſit, cumque Petrus Apoſtolus hac doctrina mundum infor-*

maverit; Deum timete, Regem honorificate, quicunque nos imperialem coronam pro beneficio a Domino Papa suscepisse dixerit, Divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacii reus erit. Imo tradit Eginhart, in vita Caroli M. *Imperatorem Carol. in extremo vitæ temp. evocatum a se Ludovicum Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto regno Francorum Primoribus, cunctorum consilio, consortem sibi totius regni & imperialis nominis heredem constituisse. Impositoque capiti ejus diademate, Imperatorem & Augustum appellari jussit.* Sic iterum Ludovicus facta inter filios regnorum suorum divisione, Lothario dedit titulum & nomen Imperatoris, tanquam primogenito. Nec ipse quoque summus Grotius, quamvis Papæ

Papæ blandiri voluiſſe videatur, hanc transferendi imperii facultatem ſuo nomine & quaſi proprio jure ſibi aſſumere poſſe negat, dum quicquid juris ſibi circa electionem & confirmationem ac approbationem Imperatoris arrogat, id ipſum poſſidere tanquam primum civem ſtatuat, ita ut quidquid fecerit Papa, id populum, non Papam, qua talem, feciſſe dicendum, quemadmodum plurima negotia, quæ corporis regimen & gubernationem ſpectant, expediuntur per eum, cui populus ea demandavit. Sed populo diſſoluto, extincto corpore, imperio in varias partes diſtracto, reip. ſpecie ſublata, quid juris competit populo Romano, qui hodie urbem novam incolit, ex tot Barbarorum propagatus & coalitus reliquiis, a quibus toties vi diſtractus, atque in captivitatem abductus, ut coire non potuerit & in unum corpus coale-

fcere direpta urbe, ut contigit anno 955. quo, tefte Procopio, Genfericus Wandalorum Rex claffe devectus ex Aphrica in Italiam cum ingenti militum copia, & in belli focietatem Mauris tractis, urbem prope defertam ab omnibus cepit, eaque direpta captivi fat magno numero Carthaginem deportati funt, & fic deinceps variis cladibus populo Romano a Barbaris affecto, periit tandem corpus reipubl. & cum eo imperium interiit. Et quamvis ipfa Roma aliquamdiu fuperftes, antiquæ civitatis tamen nullam fpeciem ac formam referebat, deferta ab incolis veteribus, ac etiam deletis civibus, everfa repub., legibus, magiftratu, interioribus ftructuræ vinculis folutis, fublata omni five juris five imperii communitate, titulus reliquus vix, & tenuis imago corporis veteris confpiciebatur, donec ad noftra tem-

tempora perventum, quibus & ipſa imago evanuit, ita ut nullum veteris reipub. veſtigium reliquum. Quamobrem quantum a vero deflectit Grotius, cum idem eſſe populum Romanum hodie ſtatuat qui fuit olim, & proinde fontem adhuc eſſe imperii, ſicuti reipub. primordio, cum adhuc ſubſiſteret corpus integrum, intactum & illibatum, fundatum ſuis legibus, proprium habens caput ac regimen, cujus participes ejusdem corporis membra. Errorem vero errore cumulat, dum a populi Romani conſenſu pependiſſe affirmat conjunctionem illam Imperii Romani cum Germanis, atque inde etiamnum ipſi reſervatum jus approbandæ electionis, quantum ſcil. ea res ad ſe pertinet. Qualem approbationem per Epiſcopum edici & ſolenniter teſtatam fieri peculiari coronatione ſolitum fuiſſe tradit. Quippe a

nobis jam demonstratum, quod imperium non potuerit transferri a Romanis ad Græcos, subsistente corpore reipub. in quo imperium inerat & vivebat, ad quod omnia, quæ erant Romani imperii, suam habebant relationem, quamdiu consistebat, sed eo sublato atque distracto, omnes quoque partes conciderunt, interierunt, non quoad substantiam & essentiam, sed ejusmodi relationem & titulum, quo dicebantur esse Romani imperii, & juris, quia ejusdem corporis membra. In Carolum transiit imperium titulo quidem Romanum, sed corpore destitutum, extincto fere populo, & sublata specie corporis. Imo illud ipsum imperium, quod in Carolum M. translatum, ne quidem a consensu populi Romani, qui tunc temporis Romam incolebat, quam imperii fontem a suis inhabitatum civibus, ejusdem

ejusdem imperii vinculo ſibi devinctis, eadem jura, easdem leges pro agendorum norma habentibus, ut dixi, derivandum ſtatuo, ſed belli jure quæſitum, atque in poſteros ejus devolutum jure ſucceſſionis quaſi proprium patrimonium, donec, Carolina ſtirpe extincta, mortuo Ludovico IV. ſine liberis maſculis, convenerint Proceres imperii Germanici, titulum Imperatoris, nulla habita ratione voluntatis vel conſenſus Romani populi aut ejus primi civis, conferre in Othonem Saxoniæ Ducem, qui ſe imparem imperio tractando videns, rogavit ut in ſui locum ſurrogarent Conradum Franconiæ Ducem, quod factum, qui, cum & ipſe gravi morbo implicitus, convocatos ex nobilitate Primos orabat, ut Othonis filio Henrico imperii faſces deferre vellent, teſte Sigisberto, Luitprando *lib.* 2. *cap.*

cap. 7. Is eft Henricus, qui auceps dictus, qui invitatus a Pontifice ad coronam Imperii fufcipiendam, refpondit: fibi fufficere, quod ex gratia Dei fit Rex Romanus, & quod Germaniam ab infidelium incurfione defendat. Quamobrem non confecratus fuit tefte Crantzio *lib.* 3.*cap.*4. Teftimonium quanti momenti fuerit auctoritas & voluntas populi Romani per primum civem ejus Epifcopum coronationem teftatam fieri, aut approbari, vel confirmari. Etfi forte ipfis quid juris in eligendo Imperatore conceffum, id ipfum plane ademptum ab Othone III. Senatusconfulto facto, quo conftitutum, ut folis certis Germanis Principibus vel Proceribus eligendi Cæfaris vel Romani Imperatoris, illoc e fanguine orti, facultas competeret, cum exclufione cæterarum nationum, imo & ipfius Romani

mani populi, Pontifexque neminis Cæsaris declarandi potestatem haberet, nisi quem Principes ad majestatis hujus fastigium communi consensu & voto provexissent. Neve idem circa ea, quæ creationem Cæsaris vel Imperatoris spectarent, ampliorem haberet potestatem, quam eam edicendi solenniter. Itaque nullæ jam hodie in eligendo & creando Cæsare populi Romani vel Episcopi partes, adeo ut merito usurpata omnia, quæ sibi deinceps & hodie arrogarunt jura. Quale itaque corpus hodie Romana respub.? sine anima, Germania, non Roma, imperii fons, quamobrem non amplius pro peculiari civitate, sed parte accessoria regni populique Germanici haberi debet, cui jus quæsitum creandi Imperatoris inconsulto Papa & populo Romano, quod ad hæc usque tempora intactum atque illibatum

Ele-

Electoribus, tanquam imperii corpus repræsentantibus, reservatum, quod ipsisdiu incolume ut maneat, spero.


FINIS.

Isaac Leonard Baskin

Ced. Robson

& Nts

1970



Vandermeul
Dissertatio
Imperii
Romani
1698